This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

WIDENER LIBRARY
HX Q4IX 2

2i 19,225

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY



D. IUNII IUVENALIS AQUINATIS

SATIRAE XVI.

RECENSUIT

ET

ANNOTATIONIBUS INSTRUXIT

ERNESTUS GUILIELMUS WEBER,

WEISSENSEAS, PHILOS. DR. ET PROFESSOR

GYMNASII WIMARIENSIS.

WIMARIAE,

IN NOVO BIBLIOPOLIO, VULGO LANDES-INDUSTRIE-COMPTOIR.

MDCCCXXV.

Li 13.225

HARVARD COLLEGE LIBRARY

4639
49.269
14

VIRO

MAGNIFICO SUMMF REVERENDO

IOANNI FRIEDERICO ROEHR,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI,

EQUITI ILLUSTRI,

MAGNIDUCALIS AULAE CONCIONATORI SUPREMO, SUPREMI SENATUS

SACRI SAXONICO-WIMARIENSIS CONCILIARIO, SUPREMO

SACRORUM ANTISTITI, PASTORI PRIMARIO ET

EPHORO GYMNASII MERITISSIMO

HUNC LIBRUM

GRATISSIMI ANIMI TESTEM ET DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

VIR MAGNIFICE,

SUMME REVERENDE GYMNASII

EPHORE.

Non existimo futuros esse, qui audaciae me et inverecundiae accusent, quod hancce Iuvenalis satirographi editionem nominis *TUI* praescriptione exornaverim, quum secum reputarint, eum talem esse, qui argumenta gravissima ex ethica disciplina deprompta, saluberrimisque sententiis distincta pertractaverit, ut sibi inde celebrem inter philosophos locum pararet, et a multis scriptoribus, veluti a Petro Blaesensi, Io. Sarisberiensi, Vincentio Bellov. aliisque Ethicus nominaretur. Ut unam saltem ex egregiis eius satiris commemorem, ex qua appareat, quam dignum se praestiterit hoc nomine, consideranda est decima, quae argumentum continet de precibus ac votis, praestantissimum sane, et aeque bene a Iuvenale atque a Platone aliisque philosophis pertractatum, ubi quum docuerit, homines parum intelligere, quae vera, quaeque opinata sint bona, ad extremum addit, orandum esse quam maxime, *Ut mens sit sana in corpore sano:* quod quidem dictum quam utile multis nostri aevi hominibus futurum esset, si ab ipsis animo infigeretur et diligenter observaretur, quantaque inde quum rei litterariae, tum civitatibus promanaret utilitas, non est quod *TIBI, VIR MAGNIFICE,* dicam, cuius sapientiam et consilium in deliberando,

prudentiam in agendo, constantiam in exsequendo omnes intuemur et suspicimus.

Etsi igitur hac ex parte nemo mihi vitio vertet, quod hunc scriptorem nomini *TUO* inscripserim magnifico, erunt tamen fortasse, qui ea, quae ipse dedi, non satis digna dicent *TUO* splendore et fastigio, in quo *TU* collocatus es. Atque ipse me non ignorare fateor, quam exiguum sit hocce munus, sed insignis *TUA* humanitas et indulgentia fecit, ut non diutius sustinerem, ne, quod in promtu habebam, offerrem, et hac occasione gratum animi mei sensum ex tacita conscientia ad publicam notitiam promerem.

Suscepta enim a *TE*, *VIR MAGNIFICE*, huius Gymnasii cura, rebus eius tam benigne et sapienter prospexisti, ut nos omnes, qui *TE* studiorum nostrorum patronum et tutorem nacti sumus, ex animo vehementer gaudeamus. Recens adhuc est, diuque recentem gratiam conservabit, beneficium, quod praeceptorum conditionem auctoritate *TUA* gravissima adiuvisti, eosque uberioris beneficentiae fructibus auctos esse voluisti. Sed quoniam probe intelligebas, non satis esse, si muneris eiusdem socii externis bonis sibi quodammodo pares sint, nisi eadem auctoritatis aequalitas accedat, idcirco effecisti, ut inveteratum illud et nostris temporibus minus accommodatum praeceptorum classicorum, quos Germani dicunt, institutum non nomine tantum, sed vi etiam et potestate eatenus tolleretur, quatenus etiam reliqui praeceptores pro suo iure, quod cuique cum munere ipso traditum est, agere possent, neque se in officiis colendis impeditos et animo perturbatos nonnumquam sentirent eo, quod alius vim iusto maiorem, ipsi sane laetiorem, sed disciplinae non minus ac litteris perniciosiorem anticiparet. Id iam satis auctoritatis afferat necesse est, quod ii, quibus custodia unius discipulorum ordinis demandata est, om-

nes in eum vires, omnem operam ac studium conferunt: quae felicitas si praeterea certis quibusdam iuribus concessis adaugetur, sociorum docendi labor manifesto non semper prosperrimum eventum habet. Omnium autem disciplinarum est quaedam inter se coniunctio, et altera alterius nititur fundamento, omnibus suus est honos, suum pretium: quare, ut eae inter se, tamquam sorores, copulatae sunt, ita *TU*, *VIR MAGNIFICE*, quo studia nostra in dies laetius efflorescerent, praeceptores, aequalitate, quae iusta aptaque sit, adducta, fraterno quodam coniungi amoris vinculo exoptavisti. Ac nemo erit, quin hoc institutum utilissimum putet, ut non ab aequitate praeceptum, sed ab ipsa utilitate repertum videatur.

Eodem loco tertium denique habendum est beneficium, quod *TU* ipsum nobis attulisti, quum ad res huius Gymnasii in commune consultandas conventum praeceptorum instituisti, quo longe maius praeceptoribus decus ampliorque Gymnasio dignitas accederet, beneficium, inquam, quod suis se commodis satis commendat, magisque in dies se commendabit, simulac recens istud institutum certiorem quandam formam acceperit: qua de re equidem non dubitandum censeo, quum Cl. Gernhardum habeamus moderatorem eius optimum, humanissimum, et omnium utilium rerum et intelligentissimum et amantissimum.

His tantis, quibus res nostras levare studuisti, et commodis permotus et opportunitatibus, *TIBI* aliquo saltem modo publice gratificari volui, quamquam *TIBI* factis magis, quam verbis satisfieri posse optime sentio. Sed, antequam finio, patere, *VIR MAGNIFICE*, ut, quid in hac editione praestiterim, aut praestare voluerim, breviter exponam.

Quinquennium fere est, quum Animadversiones in Iuvenalis satiras ederem: ex quo tempore non inter-

missa quidem cura eius est, et investigatio rerum novarum, aut lectio eorum scriptorum, qui aliquem ei fructum promittere videbantur, sed nec satis otii superfuit ad perfectam parandam editionem, et simul tot difficultates accesserunt novae, ut iterum non continuas, sed singulas, neque eadem forma, qua prius, per capita, sed suo ad quamque satiram loco, excepta tamen ultima, dispertitas proponere mallem. Nam praeter eas difficultates, quae interpreti ex accurate comparanda poetae temporum cognitione, et ex renovando ipsius vitae examine oriuntur, maxima est et taedii plenissima, quod postulari ab unoquoque editore par est, praesertim si textum emendare quam optime velit, ut rursus inspiciantur et examinentur curiosius quum codices, tum veteres libri, qui a Ruperto iam collati et adducti sunt. Hac sola ratione tandem discerni potest, qui libri et praestantia sua et consensu vim habeant inprimis in textu recensendo, quique peioris sint notae, et prorsus spernendi, aut saltem caute adhibendi. Neque vero hoc respectu inutilis erit comparatio eorum scriptorum, quos Iuvenalis passim imitatus est, et qui dictionem ipsius satiricam in scripta sua sedulo transtulerunt. Quorum in numero nemo aspernabitur van Eybii margaritam, cui integros saepe Iuvenalis versus, interdum scripturae varietate insignes, intextos cognovi. Quae quum praeter alia praestare debeat ex mea sententia novus poetae satirici editor, equidem id hac editione non potui, textum tamen exhibui ad fidem iam collatorum librorum et ad Ruperti exemplum, mutatis subinde quibusdam, quae vel sine idonea causa inducta, vel ex poetae dicendi consuetudine rectius constituenda arbitrabar. Coniecturas vel meas vel aliorum raro introduxi, saepius autem dedi novam interpunctionem, quae lucem locis obscurioribus afferret; asteriscos versibus additos, qui spurii dicebantur, expunxi, ratio-

ne non ubique expromptâ; et qui vel suspecti tantum, vel transponendi prioribus interpretibus videbantur, in sua sede firmare studui.

Verum praecipua, uti in Iuvenale debebat, cura fuit haec, ut, quae in singulis locis ad rerum verborumque obscuritatem tollendam pertinerent, animadverterem, et quae aut aliqua ex parte intellecta, aut non satis perspicue explicata essent a doctis hominibus, accuratius diligentiusque illustrarem. Sunt tamen loca adhuc bene multa, quae gravissimo interpretis auxilio indigent, a me, quia de iis iudicare nondum potui, silentio praetermissa; alia contra, quae explicata sunt, multis leviora videbuntur, sed ex mea sententia non contemnenda, dummodo, quod vehementer opto, explicatio eorum non plane perversa sit. Frequenter discedendum mihi fuit a sententiis Ruperti et Achaintrii, numquam eo consilio, ut eorum in Iuvenalem merita imminuerem. Quae censor quum doctissimus, tum elegantissimus Donneri germanicae versionis, et Orellii Eclogarum in Ephem. litt. Ienensibus passim adnotavit, mihi plerumque satisfecerunt: idem in nonnullis locis, ubi propria positurus eram, inventionis laudem praeripuit. Aliquoties occurrunt Heindorfii et Reinesii notae: quarum has mihi in margine editionis Cizensis bibliothecae conscriptas Cl. Kiesselingius per Weberum, in his litteris doctissimum, benevole suppeditavit, illas autem accepi a Iacobo, Portensi, mihi amicissimo, Bipontinae editioni nitida prioris possessoris manu inter legendum, quod puto, additas. Pleniores utriusque in futurum usum reposui. Praeterea in observationibus interdum Caroli Reisigii auctoritas laudatur, quem saepe intra privatos parietes consului, si quid esset, cuius veram rationem cognoscere vellem, quique mihi et aliis in praeclara societate sua philologa, quam Ienae magno cum fervore et admirabili mentis alacritate moderabatur,

multum utilitatis attulit. Semper ego hunc virum amavi, et amabo; scio, quanto sit animi candore, quanta humanitate, quanta comitate: novi et alii norunt miram eius vim, qua animos ad se trahit, commovet et inflammat: qui si forte quosdam laedere videatur, non tam ipsi, quam temporibus nostris tribuendum censeo. Quod si vero Froelichii eum vellicant, imperitos in se bacchari sinet, quibus hilaritatem, vel potius petulantiam, restinguere posset facillime.

Haec fere sunt, quae monenda habui; praeterea nihil addo, nisi ut *TE* orem, ut hoc munusculum cum sincera animi grati testatione traditum ea, quam in *TE* cernere consuevi, lenitate et humanitate accipias. Quod si operam omnem me non plane perdidisse cognovero, si *TU*, et alii viri docti hunc poetam mea manu non oneratum, interdum etiam ornatum fuisse iudicaveritis, magnopere equidem gaudebo. Si quid forte a me alicubi peccatum fuerit, ignoscatis, quaeso, et spectetis potius de hoc poeta bene merendi voluntatem. Cui enim contingat tam felici esse, ut rectum perpetuo teneat cursum? Hoc tamen *TIBI*, *VIR MAGNIFICE*, persuasum habere potes, me nemini, qui *TE* colat vel diligentissime, umquam cessurum esse, semperque daturum operam, ut eo me esse in *TE* obsequio intelligas, quam et *TUAE* virtutes et amplitudo muneris postulant. Deus omnibus *TUIS* institutis et coeptis prosperos successus largiatur, *TE*que bonarum litterarum tutorem quam diutissime conservet incolumem, ut in *TUO* favore et studio Gymnasium nostrum posthac acquiescere possit. Vale, nosque omnes, quos mutui amoris vinculo coniunctos voluisti, amare perge.

Scribebam Wimariae mense Martio a. MDCCCXXV.

Ern. Guil. Weber.

Corrigenda.

P. 16 vs. 108 leg. crepitum pro crepidum.
— 29 vs. 10 leg. quum pro quun.
— 34 vs. leg. Migale.
— 36 vs. 43 leg. maritali pro maritiali.
— 41 vs. 176 leg. Latonae pro Lantonae.
— 47 vs. 362 leg. pereuntem pro pareuntem.
— 83 vs. 93 comma pon. post cohortes.
— 93 vs. 20 punctum post ludi pon.
— 125 vs. 61 leg. rixantis pro rixandis.
— 134 l. 28 comma post addit pon.
— 139 l. 1. dividendum le- ctoribus.
— 144 l. 22 servum, redeunte hieme.
— l. 27 leg. sulcum.
— 147 l. 21 leg iudicis.
— 153 l. 12 comma pon. post explicationi.
— 166 l. 8 comma pon. post dicens.
— 173 l. 28 leg. parvum pro pavum.
— 194 l. 11 leg. huiusmodi.
— 205 l. 3 comma pon. post amicus.
— 212 l. 14 coelestum pro coelestem.
— 213 l. 17 comma pon. post dummodo.
— 216 l. 28 del. in ante deinde.
— 218 l. 5 comma pon. post qui, et p. 224 l. 8 post quia.
— 244 l. 6 leg. adulter pro adultur.
— 261 l. 14 post sequentibus colon pon.
— 262 l. 2 leg. mirifice.
— 275 l. 28 post vs. 144 comma pon.
— 289 l. 8 comma pon. post notae.
— 292 l. 6 post ἔρπος comma pon.
— 305 l. 16 post fertilissimus comma del.
— 307 l. 17 quam pro quum.
— 309 l. 22 nimis pro ninis.
— 313 l. 23 mori pro more.

— 323 l. 18 comma post nunc pon.
— 331 l. 20 leg. ἄνευ.
— 357 l. 26 scrib. scholiastes pro scholiastam.
— 365 l. 17 leg. respondet.
— 366 l. 22. comma pon. post notae.

Cetera benevolus lector ipse corrigat, detque veniam, quod non ubique orthographia sibi constat.

D. IUNII IUVENALIS SATIRAE.

SATIRA I.

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?
Impune ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic elegos? impune diem consumserit ingens
Telephus? aut, summi plena iam margine libri,
Scriptus et in tergo necdum finitus Orestes?
Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
Martis et Aeoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani. Quid agant venti, quas torqueat umbras
Aeacus, unde alius furtivae devehat aurum
Pelliculae, quantas iaculetur Monychus ornos:
Frontonis platani, convulsaque marmora clamant
Semper et assiduo ruptae lectore columnae.
Exspectes eadem a summo minimoque poeta.
Et nos ergo manum ferulae subduximus, et nos
Consilium dedimus Sullae, privatus ut altum
Dormiret. Stulta est clementia, quum tot ubique
Vatibus occurras, perituraе parcere chartae.
Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus,

Si vacat et placidi rationem admittitis, edam.
Quum tener uxorem ducat spado: Maevia Tuscum
Figat aprum et nuda teneat venabula mamma:
Patricios omnes opibus quum provocet unus,
Quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat:
Quum pars Niliacae plebis, quum verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet aestivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat maioris pondera gemmae:
Difficile est satiram non scribere. Nam quis iniquae
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se,
Caussidici nova quum veniat lectica Mathonis
Plena ipso: post hunc magni delator amici
Et cito rapturus de nobilitate comesa,
Quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat
Carus, et a trepido Thymele summissa Latino:
Quum te summoveant, qui testamenta merentur
Noctibus, in coelum quos evehit optima summi
Nunc via processus, vetulae vesica beatae?
Unciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem,
Partes quisque suas ad mensuram inguinis heres.
Accipiat sane mercedem sanguinis et sic
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.
Quid referam, quanta siccum iecur ardeat ira,
Quum populum gregibus comitum premit hic spoliator
Pupilli prostantis? et hic damnatus inani
Iudicio (quid enim salvis infamia nummis?)
Exsul ab octava Marius bibit, et fruitur dis
Iratis: at tu victrix provincia ploras?

Haec ego non credam Venusina digna lucerna?
Haec ego non agitem? Sed quid magis Heracleas,
Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi
Et mare percussum puero fabrumque volantem?
Quum leno accipiat moechi bona, si capiendi
Ius nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso:
Quum fas esse putet curam sperare cohortis,
Qui bona donavit praesepibus et caret omni
Maiorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam puer Automedon: nam lora tenebat,
Ipse lacernatae quum se iactaret amicae.
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio, quum iam sexta cervice feratur
Hinc atque inde patens ac nuda paene cathedra
Et multum referens de Maecenate supino
Signator falso, qui se lautum atque beatum
Exiguis tabulis et gemma fecerat uda?
Occurrit matrona potens, quae molle Calenum
Porrectura viro miscet sitiente rubetam
Instituitque rudes melior Locusta propinquas
Per famam et populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
Si vis esse aliquis: probitas laudatur, et alget.
Criminibus debent hortos, praetoria, mensas,
Argentum vetus et stantem extra pocula caprum.
Quem patitur dormire nurus corruptor avarae,
Quem sponsae turpes et praetextatus adulter?
Si natura negat, facit indignatio versum,
Qualemcunque potest, quales ego, vel Cluvienus.

Ex quo Deucalion, nimbis tollentibus aequor,
Navigio montem ascendit sortesque poposcit,
Paulàtimque anima caluerunt mollia saxa
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas:
Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.
Et quando uberior vitiorum copia? quando
Maior avaritiae patuit sinus? alea quando
Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulae, posita sed luditur arca.
Praelia quanta illic dispensatore videbis
Armigero. Simplexne furor sestertia centum
Perdere et horrenti tunicam non reddere servo?
Quis totidem erexit villas, quis fercula septem
Secreto coenavit avus? Nunc sportula primo
Limine parva sedet, turbae rapienda togatae.
Ille tamen faciem prius inspicit et trepidat, ne
Suppositus venias ac falso nomine poscas.
Agnitus accipies, iubet a praecone vocari
Ipsos Troiugenas. Nam vexant limen et ipsi
Nobiscum. Da praetori, da deinde tribuno.
Sed libertinus prior est. Prior, inquit, ego adsum.
Cur timeam dubitemve locum defendere, quamvis
Natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestrae
Arguerint, licet ipse negem? Sed quinque tabernae
Quadringenta parant. Quid confert purpura maior
Optandum, si Laurenti custodit in agro
Conductas Corvinus oves? Ego possideo plus
Pallante et Licinis. Exspectent ergo tribuni:
Vincant divitiae, sacro nec cedat honori,

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis,
Quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
Maiestas: etsi funesta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Ut colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus.
Quaeque salutato crepidat Concordia nido.
Sed quum summus honor finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus adda:
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est,
Et panis, fumusque domi? Densissima centum
Quadrantes lectica petit sequiturque maritum
Languida vel praegnans et circumducitur uxor.
Hic petit absenti, nota iam callidus arte,
Ostendens vacuam et clausam pro coniuge sellam.
Galla mea est, inquit. Citius dimitte. Moraris?
Profer Galla caput. Noli vexare, quiescit.
Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum:
Sportula, deinde forum iurisque peritus Apollo
Atque triumphales, inter quas ausus habere
Nescio quis titulos Aegyptius atque Arabarches,
Cuius ad effigiem non tantum meiere fas est.
Vestibulis abeunt veteres lassique clientes
Votaque deponunt, quamquam longissima coenae
Spes homini. Caules miseris, atque ignis emendus.
Optima silvarum interea pelagique vorabit
Rex horum vacuisque toris tantum ipse iacebit.
Nam de tot pulchris et latis orbibus et tam
Antiquis una comedunt patrimonia mensa.
Nullus iam parasitus erit. Sed quis ferat istas
Luxuriae sordes? Quanta est gula, quae sibi totos

Ponit aprós, animal propter convivia natum,
Poena tamen praesens, quum tu deponis amictus
Turgidus et crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitae mortes atque intestata senectus.
It nova nec tristis per cunctas fabula coenas:
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas: eadem cupient facientque minores.
Omne in praecipiti vitium stetit. Utere velis,
Totos pande sinus. Dicas hic forsitan, unde
Ingenium par materiae? Unde illa priorum
Scribendi, quodcunque animo flagrante liberet,
Simplicitas, cuius non audeo dicere nomen?
Quid refert dictis ignoscat Mutius, an non?
Pone Tigellinum: taeda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media sulcum diducis arena.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis atque illinc despiciat nos?
Quum veniet contra, digito compesce labellum:
Accusator erit, qui verbum dixerit, hic est.
Securus licet Aeneam Rutulumque ferocem
Committas: nulli gravis est percussus Achilles,
Aut multum quaesitus Hylas urnamque secutus.
Ense velut stricto quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant praecordia culpa.
Inde irae et lacrimae. Tecum prius ergo voluta
Haec animo ante tubas: galeatum sero duelli

Poenitet. Experiar, quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

SATIRA II.

Ultra Sauromatas fugere hinc libet et glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt.
Indocti primum: quamquam plena omnia gypso
Chrysippi invenias. Nam perfectissimus horum est,
Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit
Et iubet archetypos pluteum servare Cleanthas.
Frontis nulla fides. Quis enim non vicus abundat
Tristibus obscoenis? Castigas turpia, quum sis
Inter Socraticos notissima fossa cinaedos.
Hispida membra quidem et durae per brachia setae
Promittunt atrocem animum: sed podice levi
Caeduntur tumidae, medico ridente, mariscae.
Rarus sermo illis et magna lubido tacendi
Atque supercilio brevior coma. Verius ergo
Et magis ingenue Peribomius, hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum incessuque fatetur.
Horum simplicitas miserabilis, his furor ipse
Dat veniam: sed peiores, qui talia verbis
Herculis invadunt et de virtute loquuti
Clunem agitant. Ego te ceventem, Sexte, verebor?
Infamis Varillus ait: quo deterior te?
Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis coelum terris non misceat et mare coelo,

Si fur displiceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuset moechos, Catilina Cethegum?
In tabulam Sullae si dicant discipuli tres?
Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu, qui tunc leges revocabat amaras
Omnibus atque ipsis Veneri Martique timendas,
Quum tot abortivis fecundam Iulia vulvam
Solveret et patruo similes effunderet offas?
Nonne igitur iure ac merito vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros et castigata remordent?
Non tulit ex illis torvum Lauronia quemdam
Clamantem toties: Ubi nunc lex Iulia? dormis?
Ad quem subridens: Felicia tempora, quae te
Moribus opponunt. Habeat iam Roma pudorem.
Tertius e coelo cecidit Cato. Sed tamen unde
Haec emis, hirsuto spirant opobalsama collo
Quae tibi? Ne pudeat dominum monstrare tabernae.
Quod si vexantur leges ac iura, citari
Ante omnes debet Scatinia. Respice primum
Et scrutare viros: faciunt hi plura, sed illos
Defendit numerus iunctaeque umbone phalanges.
Magna inter molles concordia. Non erit ullum
Exemplum in nostro tam detestabile sexu.
Taedia non lambit Cluviam, nec Flora Catullam:
Hispo subit iuvenes et morbo pallet utroque.
Numquid nos agimus causas, civilia iura
Novimus, aut ullo strepitu fora vestra movemus?
Luctantur paucae: comedunt coliphia paucae.
Vos lanam trahitis calathisque peracta refertis
Vellera: vos tenui praegnantem stamine fusum

Penelope melius, levius torquetis Arachne,
Horrida quale facit residens in cadice pellex.
Notum est, cur solo tabulas impleverit Hister
Liberto, dederit vivus cur multa puellae.
Dives erit, magno quae dormit tertia lecto.
Tu nube atque tace: donant arcana cylindros.
De nobis post haec tristis sententia fertur:
Dat veniam corvis, vexat censura columbas.
Fugerunt trepidi vera ac manifesta canentem
Stoicidae. Quid enim falsi Laurenia? Sed quid
Non facient alii, quum tu multicia sumas,
Cretice, et hanc vestem populo mirante perores
In Proculas et Pollitas? Est moecha Labulla:
Damnetur, si vis, etiam Carfinia: talem
Non sumet damnata togam. Sed Iulius ardet,
Aestuo. Nudus agas: minus est infamia turpis.
En habitum, quo te leges ac iura ferentem
Vulneribus crudis populus modo victor et illud
Montanum positis audiret vulgus aratris.
Quid non proclames, in corpore iudicis ista
Si videas? Quaero, an deceant multicia testem?
Acer et indomitus liberatisque magister,
Cretice, perluces. Dedit hanc contagio labem
Et dabit in plures: sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit et porrigine porci,
Uvaque conspecta livorem ducit ab uva.
Foedius hoc aliquid quandoque audebis amictu.
Nemo repente venit turpissimus. Accipient te
Paulatim, qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus et toto ponere monilia collo

Atque Bonam tenerae placant abdomine porcae
Et magno cratere Deam, sed more sinistro
Exagitata procul non intrat femina limen.
Solis ara Deae maribus patet. Ite profanae,
Clamatur: nullo gemit hic tibicina cornu.
Talia secreta coluerunt Orgia taeda
Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytto.
Ille supercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu pingitque trementes
Attollens oculos: vitreo bibit ille Priapo
Reticulumque comis auratum ingentibus implet;
Caerulea indutus, scutulata, aut galbana rasa
Et per Iunonem domini iurante ministro.
Ille tenet speculum, pathici gestamen Othonis,
Actoris Aurunci spolium, quo se ille videbat
Armatum, quum iam tolli vexilla iuberet.
Res memoranda novis annalibus atque recenti
Historia speculum civilis sarcina belli.
Nimirum summi ducis est, occidere Galbam
Et curare cutem: summi constantia civis,
Bebriaci campo spolium affectare Palati
Et pressum in facie digitis extendere panem:
Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,
Moesta nec Actiaca fecit Cleopatra carina.
Hic nullus verbis pudor aut reverentia mensae.
Hic turpis Cybeles et fracta voce loquendi
Libertas et crine senex phanaticus albo
Sacrorum antistes, rarum ac memorabile magni
Gutturis exemplum conducendusque magister.
Quid tamen exspectant, Phrygio quis tempus erat iam

More supervacuam cultris abrumpere carnem?
Quadringenta dedit Gracchus sestertia dotem
Cornicini, sive hic recto cantaverat aere.
Signatae tabulae: dictum, Feliciter: ingens
Coena sedet: gremio iacuit nova nupta mariti.
O proceres, censore opus est, an haruspice nobis?
Scilicet horreres maioraque monstra putares,
Si mulier vitulum vel si bos ederet agnum?
Segmenta et longos habitus et flamea sumit,
Arcano qui sacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus. O pater Urbis,
Unde nefas tantum Latiis pastoribus? unde
Haec tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?
Traditur ecce viro clarus genere atque opibus vir:
Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas,
Nec quereris patri? Vade ergo et cede severi
Iugeribus campi, quem negligis. Officium cras
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quae causa officii? Quid quaeris? Nubit amicus,
Nec multos adhibet. Liceat modo vivere: fient,
Fient ista palam, cupient et in acta referri.
Interea tormentum ingens nubentibus haeret,
Quod nequeunt parere et partu retinere maritos.
Sed melius, quod nil animis in corpora iuris
Natura indulget. Steriles moriuntur et illis
Turgida non prodest condita pyxide Lyde,
Nec prodest agili palmas praebere Luperco.
Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi,
Lustravitque fuga mediam gladiator arenam
Et Capitolinis generosior et Marcellis

Et Catulis Paullique minoribus et Fabiis et
Omnibus ad podium spectantibus. His licet ipsum
Admoveas, cuius tunc munere retia misit.
Esse aliquos manes et subterranea regna
Et contum et Stygio ranas in gurgite nigras
Atque una transire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur,
Sed tu vera puta. Curius quid sentit et ambo
Scipiadae, quid Fabricius manesque Camilli,
Quid Cremerae legio et Cannis consumta iuventus,
Tot bellorum animae, quoties hinc talis ad illos
Umbra venit? Cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum taedis et si foret humida laurus.
Illuc, heu, miseri traducimur. Arma quidem ultra
Litora Iuvernae promovimus et modo captas
Orcadas ac minima contentos nocte Britannos:
Sed quae nunc populi fiunt victoris in urbe,
Non faciunt illi, quos vicimus. Et tamen unus
Armenius Zalates cunctis narratur ephebis
Mollior ardenti sese indulsisse tribuno.
Adspice, quid faciant commercia: venerat obses.
Hic fiunt homines. Nam si mora longior urbem
Indulsit pueris, non unquam deerit amator:
Mittentur bracae, cultelli, frena, flagellum.
Sic praetextatos referunt Artaxata mores.

SATIRA III.

Quamvis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen, vacuis quod sedem figere Cumis
Destinet atque unum civem donare Sibyllae.
Ianua Baiarum est et gratum litus amoeni
Secessus. Ego vel Prochytam praepono Suburae.
Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos ac mille pericula saevae
Urbis et Augusto recitantes mense poëtas?
Sed dum tota domus rheda componitur una,
Substitit ad veteres arcus madidamque Capenam.
Hic, ubi nocturnae Numa constituebat amicae,
Nunc sacri fontis nemus et delubra locantur
Iudaeis, quorum cophinus fenumque supellex,
(Omnis enim populo mercedem pendere iussa est
Arbor et eiectis mendicat silva Camenis)
In vallem Egeriae descendimus et speluncas
Dissimiles veris. Quanto praestantius esset
Numen aquae, viridi si margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum?
Hic tunc Umbricius: Quando artibus, inquit, honestis
Nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor est, here quam fuit, atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid: proponimus illuc
Ire, fatigatas ubi Daedalus exuit alas.
Dum nova canities, dum prima et recta senectus,
Dum superest Lachesi, quod torqueat, et pedibus me
Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo,

Cedamus patria: vivant Artorius istic
Et Catulus: maneant, qui nigrum in candida vertunt,
Quis facile est aedem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
Et praebere caput domina venale sub hasta.
Quondam hi cornicines et municipalis arenae
Perpetui comites notaeque per oppida buccae,
Munera nunc edunt, et verso pollice vulgi,
Quemlibet occidunt populariter: inde reversi
Conducunt foricas, et cur non omnia? quum sint,
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna iocari.
Quid Romae faciam? Mentiri nescio: librum,
Si malus est, nequeo laudare, et poscere: motus
Astrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec possum: ranarum viscera numquam
Inspexi. Ferre ad nuptam, quae mittit adulter,
Quae mandat, norint alii: me nemo ministro
Fur erit, atque ideo nulli comes, exeo tanquam
Mancus et exstinctae corpus non utile dextrae.
Quis nunc diligitur, nisi conscius et cui fervens
Aestuat occultis animus semperque tacendis?
Nil tibi se debere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te secreti fecit honesti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accusare potest. Tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi quodque in mare volvitur aurum,
Ut somno careas ponendaque praemia sumas
Tristis et a magno semper timearis amico.
Quae nunc divitibus gens acceptissima nostris

Et quos praecipue fugiam, properabo fateri,
Nec pudor obstabit. Non possum ferre, Quirites,
Graecam urbem: quamvis quota portio faecis Achaei?
Iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes
Et linguam et mores et cum tibicine chordas
Obliquas nec non gentilia tympana secum
Vexit et ad Circum iussas prostare puellas.
Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.
Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis,
Esquilias dictumque petunt a vimine collem,
Viscera magnarum domuum dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promtus, et Isaeo torrentior. Ede, quid illum
Esse putes? quemvis hominem secum adtulit ad nos:
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schoenobates, medicus, magus: omnia novit.
Graeculus esuriens in coelum, iusseris, ibit.
Ad summam, non Maurus erat neque Sarmata nec Thrax,
Qui sumsit pennas, mediis sed natus Athenis.
Horum ego non fugiam conchylia? Me prior ille
Signabit, fultusque toro meliore recumbet
Advectus Romam, quo pruna et cottana vento?
Usque adeo nihil est, quod nostra infantia coelum
Hausit Aventini baca nutrita Sabina?
Quid, quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus aequat

Herculis, Antaeum procul a tellure tenentis,
Miratur vocem angustam, qua deterius nec
Ille sonat, quo mordetur gallina marito?
Haec eadem licet et nobis laudare: sed illis
Creditur. An melior, quum Thaïda sustinet, aut quum
Uxorem comoedus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo? Mulier nempe ipsa videtur,
Non persona loqui: vacua et plana omnia dicas
Infra ventriculum et tenui distantia rima.
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Haemo.
Natio comoeda est. Rides, maiore cachinno
Concutitur: flet, si lacrimas conspexit amici,
Nec dolet: igniculum brumae si tempore poscas,
Accipit endromidem: si dixeris, aestuo, sudat.
Non sumus ergo pares: melior, qui semper et omni
Nocte dieque potest alienum sumere vultum,
A facie iactare manus, laudare paratus,
Si bene ructavit, si rectum minxit amicus,
Si trulla inverso crepidum dedit aurea fundo.
Praeterea sanctum nihil est et ab inguine tutum:
Non matrona laris, non filia virgo, neque ipse
Sponsus levis adhuc, non filius ante pudicus.
Horum si nihil est, aviam resupinat amici.
Scire volunt secreta domus atque inde timeri.
Et quoniam coepit Graecorum mentio, transi
Gymnasia atque audi facinus maioris abollae.
Stoicus occidit Baream, delator amicum,
Discipulumque senex, ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.

Non est Romano cuiquam locus hic, ubi regnat
Protogenes aliquis, vel Diphilus, aut Erimarchus,
Qui gentis vitio nunquam partitur amicum,
Solus habet. Nam quum facilem stillavit in aurem
Exiguum de naturae patriaeque veneno,
Limine summoveor: perierunt tempora longi
Servitii: nusquam minor est iactura clientis.
Quod porro officium, ne nobis blandiar, aut quod
Pauperis hic meritum, si curet nocte togatus
Currere, quum praetor lictorem impellat et ire
Praecipitem iubeat, dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam et Modiam collega salutet?
Divitis hic servi claudit latus ingenuorum
Filius: alter enim, quantum in legione tribuni
Accipiunt, donat Calvinae, vel Catienae,
Ut semel atque iterum super illam palpitet: at tu,
Quum tibi vestiti facies scorti placet, haeres
Et dubitas alta Chionen deducere sella.
Da testem Romae tam sanctum, quam fuit hospes
Numinis Idaei: procedat vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex aede Minervam:
Protinus ad censum, de moribus ultima fiet
Quaestio: quot pascit servos? quot possidet agri
Iugera? quam multa magnaque paropside coenat?
Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet et fidei. Iures licet et Samothracum
Et nostrorum aras: contemnere fulmina pauper
Creditur atque Deos, Dis ignoscentibus ipsis.
Quid, quod materiam praebet causasque iocorum
Omnibus hic idem, si foeda et scissa lacerna,

Si toga sordidula est et rupta calceus alter
Pelle patet: vel si consuto vulnere crassum
Atque recens linum ostendit non una cicatrix?
Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit. Exeat, inquit,
Si pudor est, et de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit, et sedeant hic
Lenonum pueri quocunque in fornice nati.
Hic plaudat nitidi praeconis filius inter
Pinnirapi cultos iuvenes iuvenesque lanistae:
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.
Quis gener hic placuit censu minor atque puellae
Sarcinulis impar? quis pauper scribitur heres:
Quando in consilio est aedilibus? Agmine facto
Debuerant olim tenues migrasse Quirites.
Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi, sed Romae durior illis
Conatus: magno hospitium miserabile, magno
Servorum ventres et frugi coenula magno.
Fictilibus coenare pudet, quod turpe negavit
Translatus subito ad Marsos, mensamque Sabellam,
Contentusque illic veneto duroque cucullo.
Pars magna Italiae est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus. Ipsa dierum
Festorum herboso colitur si quando theatro
Maiestas tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, quum personae pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.
Aequales habitus illic similesque videbis
Orchestram et populum: clari velamen honoris,

Sufficiunt tunicae summis aedilibus albae.
Hic ultra vires habitus nitor: hic aliquid plus,
Quam satis est, interdum aliena sumitur arca.
Commune id vitium est. Hic vivimus ambitiosa
Paupertate omnes. Quid te moror? omnia Romae
Cum pretio. Quid das, ut Cossum aliquando salutes,
Ut te respiciat clauso Veiento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.
Plena domus libis venalibus. Accipe et istud
Fermentum tibi habe: praestare tributa clientes
Cogimur et cultis augere peculia servis.
Quis timet aut timuit gelida Praeneste ruinam,
Aut positis nemorosa inter iuga Volsiniis, aut
Simplicibus Gabiis aut proni Tiburis arce?
Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte sui. Nam sic labentibus obstat
Villicus et veteris rimae contexit hiatum,
Securos pendente iubet dormire ruina.
Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus. Iam poscit aquam, iam frivola transfert
Ucalegon: tabulata tibi iam tertia fumant:
Tu nescis. Nam si gradibus trepidatur ab imis,
Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluvia, molles ubi reddunt ova columbae.
Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex,
Ornamentum abaci, nec non et parvulus infra
Cantharus et recubans sub eodem marmore Chiron,
Iamque vetus Graecos servabat cista libellos
Et divina opici rodebant carmina mures.
Nil habuit Codrus. Quis enim negat? et tamen illud

Perdidit infelix totum nihil: ultimus autem
Aerumnae cumulus, quod nudum et frusta rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio, tectoque iuvabit.
Si magna Asturici cecidit domus: horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia praetor:
Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem:
Ardet adhuc, et iam occurrit, qui marmora donet,
Conferat impensas. Hic nuda et candida signa,
Hic aliquid praeclarum Euphranoris et Polycleti,
Phaecasianorum vetera ornamenta Deorum,
Hic libros dabit et forulos mediamque Minervam,
Hic modium argenti: meliora ac plura reponit
Persicus orborum lautissimus et merito iam
Suspectus, tanquam ipse suas incenderit aedes.
Si potes avelli Circensibus, optima Sorae,
Aut Fabrateriae domus, aut Frusinone paratur,
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.
Hortulus hic puteusque brevis nec reste movendus
In tenues plantas facili diffunditur haustu.
Vive bidentis amans et culti villicus horti,
Unde epulum possis centum dare Pythagoreis.
Est aliquid quocunque loco, quocunque recessu,
Unius sese dominum fecisse lacertae.

Plurimus hic aeger moritur vigilando, sed illum
Languorem peperit cibus imperfectus et haerens
Ardenti stomacho. Nam quae meritoria somnum
Admittunt? Magnis opibus dormitur in urbe.
Inde caput morbi: redarum transitus arcto
Vicorum inflexu et stantis convicia mandrae
Eripient somnum Druso vitulisque marinis.

Si vocat officium, turba cedente vehetur
Dives et ingenti curret super ora Liburno,
Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus.
Namque facit somnum clausa lectica fenestra.
Ante tamen veniet: nobis properantibus obstat
Unda prior: magno populus premit agmine lumbos,
Qui sequitur: ferit hic cubito, ferit assere duro
Alter: at hic tignum capiti incutit, ille metretam.
Pinguia crura luto, planta mox undique magna
Calcor, et in digito clavus mihi militis haeret.
Nonne vides, quanto celebretur sportula fumo?
Centum convivae: sequitur sua quemque culina.
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
Impositas capiti, quas recto vertice portat
Servulus infelix et cursu ventilat ignem.
Scinduntur tunicae sartae: modo longa coruscat
Sarraco veniente abies atque altera pinum
Plaustra vehunt, nutant altae populoque minantur.
Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat,
Axis et eversum fudit super agmina montem,
Quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa
Invenit? Obtritum vulgi perit omne cadaver
More animae. Domus interea secura patellas
Iam lavat et buccа foculum excitat et sonat unctis
Striglibus et pleno componit lintea gutto.
Haec inter pueros varie properantur: at ille
Iam sedet in ripa tetrumque novicius horret
Porthmea, nec sperat coenosi gurgitis alnum
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.
Respice nunc alia ac diversa pericula noctis:

Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum
Testa ferit: quoties rimosa et curta fenestris
Vasa cadant: quanto percussum pondere signent
Et laedant silicem. Possis ignavus haberi
Et subiti casus improvidus, ad coenam si
Intestatus eas. Adeo tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles, te praetereunte, fenestrae.
Ergo optes votumque feras miserabile tecum,
Ut sint contentae patulas defundere pelves.
Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat poenas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidae, cubat in faciem, mox deinde supinus.
Ergo non aliter poterit dormire? quibusdam
Somnum rixa facit: sed quamvis improbus annis
Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina laena
Vitari iubet, et comitum longissimus ordo:
Multum praeterea flammarum et aënea lampas.
Me, quem luna solet deducere, vel breve lumen
Candelae, cuius dispenso et tempero filum,
Contemnit. Miserae cognosce prooemia rixae,
Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.
Stat contra starique iubet, parere necesse est.
Nam quid agas, quum te furiosus cogat et idem
Fortior? Unde venis? exclamat: cuius aceto,
Cuius conche tumes? quis tecum sectile porrum
Sutor et elixi vervecis labra comedit?
Nil mihi respondes? aut dic, aut accipe calcem:
Ede, ubi consistas, in qua te quaero proseucha?
Dicere si tentes aliquid, tacitusve recedas,
Tantundem est: feriunt pariter: vadimonia deinde

Irati faciunt. Libertas pauperis haec est!
Pulsatus rogat et pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.
Nec tamen haec tantum metuas: nam, qui spoliet te,
Non deerit, clausis domibus postquam omnis ubique
Fixa catenatae siluit compago tabernae.
Interdum et ferro subitus grassator agit rem,
Armato quoties tutae custode tenentur
Et Pomtina palus et Gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes tanquam ad vivaria currunt.
Qua fornace graves, qua non incude catenae?
Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas, ne
Vomer deficiat, ne marrae et sarcula desint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Secula, quae quondam sub regibus atque tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam.
His alias poteram et plures subnectere caussas:
Sed iumenta vocant et sol inclinat: eundum est.
Nam mihi commota iam dudum mulio virga
Adnuit: ergo vale nostri memor, et quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,
Me quoque ad Helvinam Cererem vestramque Dianam
Convelle a Cumis: satirarum ego, ni pudet illas,
Adiutor gelidos veniam caligatus in agros.

SATIRA IV.

Ecce iterum Crispinus adest, mihi saepe vocandus
Ad partes, monstrum nulla virtute redemtum
A vitiis, aeger solaque libidine fortis:
Delicias viduae tantum aspernatur adulter.
Quid refert igitur, quantis iumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra,
Iugera quot vicina foro, quas emerit aedes?
Nemo malus felix: minime corruptor et idem
Incestus, cum quo nuper vittata iacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.
Sed nunc de factis levioribus et tamen alter
Si fecisset idem, caderet sub iudice morum.
Nam quod turpe bonis, Titio Seioque, decebat
Crispinum. Quid agas, quum dira et foedior omni
Crimine persona est? Mullum sex millibus emit,
Aequantem sane paribus sestertia libris,
Ut perhibent, qui de magnis maiora loquuntur.
Consilium laudo artificis, si munere tanto
Praecipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi.
Est ratio ulterior, magnae si misit amicae,
Quae vehitur clauso latis specularibus antro.
Nil tale exspectes: emit sibi. Multa videmus,
Quae miser et frugi non fecit Apicius. Hoc tu
Succinctus patria quondam, Crispine, papiro?
Hoc pretium squamae? Potuit fortasse minoris
Piscator, quam piscis, emi. Provincia tanti
Vendit agros, sed maiores Appulia vendit.
Quales tunc epulas ipsum glutisse putamus

Induperatorem? quum tot sestertia, partem
Exiguam et modicae sumtam de margine coenae
Purpureus magni ructaret scurra palati,
Iam princeps equitum, magna qui voce solebat
Vendere municipes fracta de merce siluros?
Incipe Calliope, licet et considere: non est
Cantandum, res vera agitur. Narrate puellae
Pierides: prosit mihi vos dixisse puellas.
Quum iam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus et calvo serviret Roma Neroni:
Incidit Hadriaci spatium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,
Implevitque sinus: neque enim minor haeserat illis,
Quos operit glacies Maeotica ruptaque tandem
Solibus effundit torpentis ad ostia Ponti
Desidia tardos et longo frigore pingues.
Destinat hoc monstrum cymbae linique magister
Pontifici summo. Quis enim proponere talem,
Aut emere auderet, quum plena et litora multo
Delatore forent? Dispersi protinus algae
Inquisitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitivum dicere piscem,
Depastumque diu vivaria Caesaris, inde
Elapsum veterem ad dominum debere reverti?
Si quid Palfurio, si credimus Armillato,
Quidquid conspicuum, pulchrumque est aequore toto,
Res fisci est, ubicunque natat: donabitur ergo,
Ne pereat. Iam letifero cedente pruinis
Autumno, iam quartanam sperantibus aegris,
Stridebat deformis hiems, praedamque recentem

Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auster:
Utque lacus suberant, ubi quanquam diruta servat
Ignem Troianum et Vestam colit Alba minorem;
Obstitit intranti miratrix turba parumper.
Ut cessit, facili patuerunt cardine valvae.
Exclusi spectant admissa opsonia patres.
Itur ad Atridem. Tum Picens, Accipe, dixit,
Privatis maiora focis: genialis agatur
Iste dies, propera stomachum laxare saginis,
Et tua servatum consume in secula rhombum.
Ipse capi voluit. Quid aperţius? et tamen illi
Surgebant cristae. Nihil est, quod credere de se
Non possit, quum laudatur dis aequa potestas.
Sed deerat pisci patinae mensura. Vocantur
Ergo in consilium proceres, quos oderat ille,
In quorum facie miserae magnaeque sedebat
Pallor amicitiae. Primus, clamante Liburno,
Currite, iam sedit, rapta properabat aholla
Pegasus, adtonitae positus modo villicus urbi.
Anne aliud tunc praefecti? quorum optimus atque
Interpres legum sanctissimus omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Iustitia. Venit et Crispi iucunda senectus,
Cuius erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium. Maria ac terras populosque regenti
Quis comes utilior, si clade et peste sub illa
Saevitiam damnare et honestum afferre liceret
Consilium? Sed quid violentius aure tyranni,
Cum quo de pluviis, aut aestibus, aut nimboso
Vere loquuturi fatum pendebat amici?

Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem, nec civis erat, qui libera posset
Verba animi proferre et vitam impendere vero.
Sic multas hiemes atque octogesima vidit
Solstitia, his armis illa quoque tutus in aula.
Proximus eiusdem properabat Acilius aevi
Cum iuvene, indigno, quem mors tam saeva maneret,
Et domini gladiis tam festinata: sed olim
Prodigio par est in nobilitate senectus:
Unde fit, ut malim fraterculus esse gigantis.
Profuit ergo nihil misero, quod cominus ursos
Figebat Numidas, Albana nudus arena
Venator. Quis enim iam non intelligat artes
Patricias? quis priscum illud miratur acumen,
Brute, tuum? Facile est barbato imponere regi.
Nec melior vultu, quamvis ignobilis, ibat
Rubrius, offensae veteris reus atque tacendae
Et tamen improbior satiram scribente cinaedo.
Montani quoque venter adest abdomine tardus,
Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera: saevior illo
Pompeius tenui iugulos aperire susurro,
Et qui vulturibus servabat viscera Dacis
Fuscus, marmorea meditatus proelia villa:
Et cum mortifero prudens Veiento Catullo,
Qui nunquam visae flagrabat amore puellae,
Grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum,
Caecus adulator dirusque a ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes

Blandaque devexae iactaret basia redae.
Nemo magis rhombum stupuit: nam plurima dixit
In laevum conversus, at illi dextra iacebat
Belua: sic pugnas Cilicis laudabat et ictus
Et pegma et pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Veiento, sed, ut fanaticus, oestro
Percussus, Bellona, tuo divinat, et Ingens,
Omen habes, inquit, magni clarique triumphi:
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidit Arviragus. Peregrina est belua: cernis
Erectas in terga sudes? hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret et annos.
Quidnam igitur censes? conciditur? Absit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait. Testa alta paretur,
Quae tenui muro spatiosum colligat orbem.
Debetur magnus patinae subitusque Prometheus:
Argillam atque rotam citius properate: sed ex hoc
Tempore iam, Caesar, figuli tua castra sequantur.
Vicit digna viro sententia: noverat ille
Luxuriam imperii veterem noctesque Neronis
Iam medias aliamque famem, quum pulmo Falerno
Arderet. Nulli maior fuit usus edendi
Tempestate mea. Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu:
Et semel adspecti litus dicebat echini,
Surgitur et misso proceres exire iubentur
Concilio, quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat adtonitos et festinare coactos,
Tanquam de Cattis aliquid, torvisque Sygambris

Dicturus, tanquam et diversis partibus orbis
Anxia praecipiti venisset epistola pinna.
Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora saevitiae, claras quibus abstulit urbi
Illustresque animas impune et vindice nullo:
Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Coeperat: hoc nocuit Lamiarum caede madenti.

SATIRA V.

Si te propositi nondum pudet atque eadem est mens,
Ut bona summa putes, aliena vivere quadra:
Si potes illa pati, quae nec Sarmentus iniquas
Caesaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset:
Quamvis iurato metuam tibi credere testi.
Ventre nihil novi frugalius: hoc tamen ipsum
Defecisse puta, quod inani sufficit alvo.
Nulla crepido vacat? nusquam pons et tegetis pars
Dimidia brevior? Tantine iniuria coenae,
Tam ieiuna fames, quun possit honestius illic
Et tremere et sordes farris mordere canini?
Primo fige loco, quod tu discumbere iussus
Mercedem solidam veterum capis officiorum.
Fructus amicitiae magnae cibus: imputat hunc rex,
Et, quamvis rarum, tamen imputat. Ergo duos post
Si libuit menses neglectum adhibere clientem,
Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto:
Una simus, ait. Votorum summa: quid ultra
Quaeris? habet Trebius, propter quod rumpere somnum

Debeat et ligulas dimittere, sollicitus, ne
Tota salutatrix iam turba peregerit orbem
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri sarraca Bootae.
Qualis coena tamen? Vinum, quod succida nolit
Lana pati: de conviva Corybanta videbis.
Iurgia proludunt: sed mox et pocula torques
Saucius et rubra deterges vulnera mappa,
Inter vos quoties libertorumque cohortem
Pugna Saguntina fervet commissa lagena.
Ipse capillato diffusum consule potat
Calcatamque tenet bellis socialibus uvam,
Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.
Cras bibet Albanis aliquid de montibus aut de
Setinis, cuius patriam titulumque senectus
Delevit multa veteris fuligine testae:
Quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant
Brutorum et Cassi natalibus. Ipse capaces
Heliadum crustas, et inaequales beryllos
Virro tenet phialas: tibi non committitur aurum,
Vel, si quando datur, custos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas unguesque observet acutos.
Da veniam: praeclara illic laudatur iaspis.
Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis, quas in vaginae fronte solebat
Ponere zelotypo iuvenis praelatus Iarbae.
Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor ac iam
Quassatum et rupto poscentem sulphura vitro.
Si stomachus domini fervet vinoque ciboque:

Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.
Non eadem vobis poni modo vina querebar:
Vos aliam potatis aquam. Tibi pocula cursor
Gaetulus dabit, aut nigri manus ossea Mauri
Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
Clivosae veheris dum per monumenta Latinae.
Flos Asiae ante ipsum pretio maiore paratus,
Quam fuit et Tulli census pugnacis et Anci
Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
Frivola. Quod quum ita sit, tu Gaetulum Ganymedem
Respice, quum sities. Nescit tot millibus emtus
Pauperibus miscere puer: sed forma, sed aetas
Digna supercilio. Quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adest calidae gelidaeque minister?
Quippe indignatur veteri parere clienti,
Quodque aliquid poscas et quod se stante recumbas.
Maxima quaeque domus servis est plena superbis.
Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, solidae iam mucida frusta farinae,
Quae genuinum agitent non admittentia morsum.
Sed tener et niveus mollique siligine factus
Servatur domino. Dextram cohibere memento.
Salva sit artocopi reverentia: finge tamen te
Improbulum, superest illic, qui ponere cogat,
Vis tu consuetis audax conviva canistris
Impleri, panisque tui novisse colorem?
Scilicet hoc fuerat, propter quod, saepe relicta
Coniuge, per montem adversum gelidasque cucurri
Esquilias, fremeret saeva quum grandine vernus
Iuppiter et multo stillaret paenula nimbo.

Adspice, quam longo distendat pectore lancem,
Quae fertur domino squilla et quibus undique septa
Asparagis, qua despiciat convivia cauda,
Quum venit excelsi manibus sublata ministri.
Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo
Ponitur exigua feralis coena patella.
Ipse Venafrano piscem perfundit: at hic, qui
Pallidus affertur misero tibi caulis, olebit
Laternam: illud enim vestris datur alveolis, quod
Canna Micipsarum prora subvexit acuta,
Propter quod Romae cum Bocchare nemo lavatur,
Quod tutos etiam facit a serpentibus Afros.
Mullus erit domini, quem misit Corsica, vel quem
Tauromenitanae rupes, quando omne peractum est
Et iam defecit nostrum mare, dum gula saevit
Retibus assiduis penitus scrutante macello
Proxima, nec patimur Tyrrhenum crescere piscem.
Instruit ergo focum provincia: sumitur illinc
Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.
Virroni muraena datur, quae maxima venit
Gurgite de Siculo: nam, dum se continet Auster,
Dum sedet et siccat madidas in carcere pennas,
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.
Vos anguilla manet longae cognata colubrae,
Aut glacie adspersus maculis Tiberinus et ipse
Vernula riparum pinguis torrente cloaca
Et solitus mediae cryptam penetrare Suburae.
Ipsi pauca velim, facilem si praebeat aurem:
Nemo petit, modicis quae mittebantur amicis
A Seneca, quae Piso bonus, quae Cotta solebat

Largiri: namque et titulis, et fascibus olim
Maior habebatur donandi gloria: solum
Poscimus, ut coenes civiliter. Hoc face et esto,
Esto, ut nunc multi, dives tibi, pauper amicis.
Anseris ante ipsum magni iecur, anseribus par
Altilis et flavi dignus ferro Meleagri
Fumat aper: post hunc tradentur tubera, si ver
Tunc erit et facient optata tonitrua coenas
Maiores. Tibi habe frumentum, Alledius inquit,
O Libye, disiunge boves, dum tubera mittas.
Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectes et chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia: nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores et quo gallina secetur.
Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponere foris, si quid tentaveris unquam
Hiscere, tanquam habeas tria nomina. Quando propinat
Virro tibi sumitque tuis contacta labellis
Pocula? quis vestrûm temerarius usque adeo, quis
Perditus, ut dicat regi, bibe? Plurima sunt, quae
Non audent homines pertusa dicere laena.
Quadringenta tibi si quis deus, aut similis dis
Et melior fatis donaret homuncio: quantus
Ex nihilo fieres, quantus Virronis amicus.
Da Trebio, pone ad Trebium. Vis, frater, ab ipsis
Ilibus? O nummi, vobis hunc praestat honorem,
Vos estis fratres. Dominus tamen et domini rex
Si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aula
Luserit Aeneas nec filia dulcior illo.

Iucundum et carum sterilis facit uxor amicum.
Sed tua nunc Micale pariat licet et pueros tres
In gremium patris fundat simul: ipse loquaci
Gaudebit nido, viridem thoraca iubebit
Afferri minimasque nuces assemque rogatum,
Ad mensam quoties parasitus venerit infans.
Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino, sed quales Claudius edit
Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.
Virro sibi et reliquis Virronibus illa iubebit
Poma dari, quorum solo poscaris odore,
Qualia perpetuus Phaeacum auctumnus habebat,
Credere quae possis surrepta sororibus Afris.
Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit,
Qui tegitur parma et galea metuensque flagelli
Discit ab hirsuta iaculum torquere capella.
Forsitan impensae Virronem parcere credas.
Hoc agit, ut doleas: nam quae comoedia, mimus
Quis melior plorante gula? ergo omnia fiunt,
Si nescis, ut per lacrumas effundere bilem
Cogaris pressoque diu stridere molari.
Tu tibi liber homo et regis conviva videris:
Captum te nidore suae putat ille culinae,
Nec male coniectat. Quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantum et signum de paupere loro?
Spes bene coenandi vos decipit. Ecce dabit iam
Semesum leporem atque aliquid de clunibus apri.
Ad nos iam veniet minor altilis: inde parato
Intactoque omnes et stricto pane tacetis.

Ille sapit, qui te sic utitur. Omnia ferre
Si potes, et debes: pulsandum vertice raso
Praebebis quandoque caput nec dura timebis
Flagra pati, his epulis et tali dignus amico.

SATIRA VI.

Credo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris visamque diu, quum frigida parvas
Praeberet spelunca domos ignemque laremque
Et pecus et dominos communi clauderet umbra:
Silvestrem montana torum quum sterneret uxor
Frondibus et culmo vicinarumque ferarum
Pellibus, haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cujus
Turbavit nitidos exstinctus passer ocellos,
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis
Et saepe horridior glandem ructante marito.
Quippe aliter tunc orbe novo coeloque recenti
Vivebant homines, qui rupto robore nati
Compositique luto nullos habuere parentes.
Multa pudicitiae veteris vestigia forsan
Aut aliqua exstiterint et sub Iove, sed Iove nondum
Barbato, nondum Graecis iurare paratis
Per caput alterius, quum furem nemo timeret
Caulibus aut pomis et aperto viveret horto.
Paulatim deinde ad superos Astraea recessit
Hac comite atque duae pariter fugere sorores.
Antiquum et vetus est alienum, Posthume, lectum
Concutere atque sacri genium contemnere falcri.

Omne aliud crimen mox ferrea protulit aetas:
Viderunt primos argentea saecula moechos.
Conventum tamen et pactum et sponsalia nostra
Tempestate paras, iamque a tonsore magistro
Pecteris et digito pignus fortasse dedisti.
Certe sanus eras. Uxorem, Posthume, ducis?
Dic, qua Tisiphone, quibus exagitare colubris?
Ferre potes dominam salvis tot restibus ullam,
Quum pateant altae caligantesque fenestrae:
Quum tibi vicinum se praebeat Aemilius pons?
Aut si de multis nullus placet exitus, illud
Nonne putas melius, quod tecum pusio dormit?
Pusio, qui noctu non litigat, exigit a te
Nulla iacens illic manuscula, nec queritur, quod
Et lateri parcas nec, quantum iussit, anheles.
Sed placet Ursidio lex Iulia: tollere dulcem
Cogitat heredem cariturus turture magno
Mullorumque iubis et captatore macello.
Quid fieri non posse putes, si iungitur ulla
Ursidio? si moechorum notissimus olim
Stulta maritali iam porrigit ora capistro,
Quem toties texit perituri cista Latini?
Quid, quod et antiquis uxor de moribus illi
Quaeritur? O medici, mediam pertundite venam,
Delicias hominis. Tarpeium limen adora
Pronus et auratam Iunoni caede iuvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.
Paucae adeo Cereris vittas contingere dignae,
Quarum non timeat pater oscula. Necte coronam
Postibus et densos per limina tende corymbos.

Unus Iberinae vir sufficit? ocius illud
Extorquebis, ut haec oculo contenta sit uno.
Magna tamen fama est cuiusdam rure paterno
Viventis: vivat Gabiis, ut vixit in agro,
Vivat Fidenis, et agello cedo paterno.
Quis tamen affirmat, nil actum in montibus aut in
Speluncis? Adeo senuerunt Iuppiter et Mars?
Porticibusne tibi monstratur femina voto
Digna tuo? Cuneis an habent spectacula totis,
Quod securus ames quodque inde excerpere possis?
Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo,
Tuccia vesicae non imperat: Appula gannit,
Sicut in amplexu: subitum et miserabile, longum
Attendit Thymele, Thymele tunc rustica discit.
Ast aliae, quotiés aulaea recondita cessant
Et vacuo clausoque sonant fora sola theatro
Atque a plebeiis longe Megalesia, tristes
Personam thyrsumque tenent et subligar Acci.
Urbicus exodio risum movet Atellanae
Gestibus Autonoes: hunc diligit Aelia pauper.
Solvitur his magno comoedi fibula. Sunt, quae
Chrysogonum cantare vetent. Hispulla tragoedo
Gaudet. An exspectas, ut Quintilianus ametur?
Accipis uxorem, de qua citharoedus Echion
Aut Glaphyrus fiat pater Ambrosiusque choraules.
Longa per angustos figamus pulpita vicos:
Ornentur postes et grandi ianua lauro,
Ut testudineo tibi, Lentule, conopeo
Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.
Nupta senatori comitata est Hippia ludium:

Ad Pharon et Nilum famosaque moenia Lagi,
Prodigia et mores urbis damnante Canopo.
Immemor illa domus et coniugis atque sororis
Nil patriae indulsit, plorantesque improba natos,
Utque magis stupeas, ludos Paridemque reliquit.
Sed quamquam in magnis opibus plumaque paterna
Et segmentatis dormisset parvula cunis,
Contemsit pelagus: famam contemserat olim,
Cuius apud molles minima est iactura cathedras.
Tyrrhenos igitur fluctus lateque sonantem
Pertulit Ionium constanti pectore, quamvis
Mutandum toties esset mare. Iusta pericli
Si ratio est et honesta, timent pavidoque gelantur
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis:
Fortem animum praestant rebus, quas turpiter audent.
Si iubeat coniux, durum est conscendere navim,
Tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aer.
Quae moechum sequitur, stomacho valet. Illa maritum
Convomit: haec inter nautas et prandet, et errat
Per puppem et duros gaudet tractare rudentes.
Qua tamen exarsit forma, qua capta iuventa est
Hippia? quid vidit, propter ludia dici
Sustinuit? nam Sergiolus iam radere guttur
Coeperat et secto requiem sperare lacerto.
Praeterea multa in facie deformia, sicut
Adtritus galea mediisque in naribus ingens
Gibbus et acre malum saepe stillantis ocelli.
Sed gladiator erat: facit hoc illos Hyacinthos:
Hoc pueris patriaeque, hoc praetulit illa sorori
Atque viro: ferrum est, quod amant. Hic Sergius idem

Accepta rude coepisset Veiento videri.
Quid privata domus, quid fecerit Hippia, curas?
Respice rivales divorum: Claudius audi
Quae tulerit. Dormire virum quum senserat uxor,
Ausa Palatino tegetem praeferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,
Linquebat, comite ancilla non amplius una,
Sed, nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar
Et cellam vacuam atque suam: tunc nuda papillis
Constitit auratis, titulum mentita Lyciscae,
Ostenditque tuum, generose Britannice, ventrem.
Excepit blanda intrantes atque aera poposcit,
Et resupina iacens multorum absorbuit ictus.
Mox, lenone suas iam dimittente puellas,
Tristis abit et, quod potuit, tamen ultima cellam
Clausit, adhuc ardens rigidae tentigine vulvae,
Et lassata viris necdum satiata recessit,
Obscurisque genis turpis fumoque lucernae
Foeda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.
Hippomanes carmenque loquar coctumque venenum
Privignoque datum? Faciunt graviora coactae
Imperio sexus minimumque libidine peccant.
Optima sed quare Cesennia teste marito?
Bis quingenta dedit, tanti vocat ille pudicam,
Nec Veneris pharetris macer est aut lampade fervet:
Inde faces ardent, veniunt a dote sagittae.
Libertas emitur: coram licet innuat atque
Rescribat, vidua est, locuples quae nupsit avaro.
Cur desiderio Bibulae Sertorius ardet?

Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugae subeant et se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes oculique minores:
Collige sarcinulas, dicet libertus, et exi,
Iam gravis es nobis et saepe emungeris, exi:
Ocius et propera: sicco venit altera naso.
Interea calet et regnat, poscitque maritum
Pastores et ovem Canusinam ulmosque Falernas.
Quantulum in hoc? pueros omnes, ergastula tota
Quodque domi non est et habet vicinus, ematur.
Mense quidem brumae, quo iam mercator Iason
Clausus et armatis obstat casa candida nautis,
Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus
Murrhina, deinde adamas notissimus et Beronices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestae, dedit hunc Agrippa sorori,
Observant ubi festa mero pede sabbata reges
Et vetus indulget senibus clementia porcis.
Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formosa, decens, dives, fecunda, vetustos
Porticibius disponat avos, intactior omni
Crinibus effusis bellum dirimente Sabina:
Rara avis in terris, nigroque simillima cycno.
Quis feret uxorem, cui constant omnia? Malo,
Malo Venusinam, quam te, Cornelia mater
Gracchorum; si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium et numeras in dote triumphos.
Tolle tuum, precor, Hannibalem victumque Syphacem
In castris, et cum tota Carthagine migra.
Parce, precor, Paean, et tu, Dea, pone sagittas,

Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem:
Amphion clamat: sed Paean contrahit arcum.
Extulit ergo greges natorum ipsumque parentem,
Dum sibi nobilior Lantonae gente videtur
Atque eadem scrofa Niobe fecundior alba.
Quae tanti gravitas, quae forma, ut se tibi semper
Imputet? Huius enim rari summique voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta superbo
Plus aloes, quam mellis habet. Quis deditus autem
Usque adeo est, ut non illam, quam laudibus effert,
Horreat inque dies septenis oderit horis?

Quaedam parva quidem, sed non toleranda maritis.
Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla
Formosam, nisi quae de Tusca Graecula facta est?
De Sulmonensi mera Cecropis? Omnia Graece,
Quum sit turpe magis nostris nescire Latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta: quid ultra?
Concumbunt Graece. Dones tamen ista puellis:
Tunè etiam, quam sextus et octogesimus annus
Pulsat, adhuc Graece? Non est hic sermo pudicus
In vetula, quoties lascivum intervenit illud
Ζωὴ καὶ ψυχή, modo sub lodice relictis
Uteris in turba. Quod enim non excitat inguen
Vox blanda et nequam? digitos habet. Ut tamen omnes
Subsidant pennae, dicas haec mollius Aemo,
Quanquam et Carpophoro, facies tua computat annos.

Si tibi legitimis pactam iunctamque tabellis
Non es amaturus, ducendi nulla videtur
Causa: nec est, quare coenam et mustacea perdas,

Labente officio, crudis donanda: nec illud,
Quod prima pro nocte datur, quum lance beata
Dacicus et scripto radiat Germanicus auro.
Si tibi simplicitas uxoria, deditus uni
Est animus: submitte caput cervice parata
Ferre iugum: nullam invenies, quae parcat amanti.
Ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amantis
Et spoliis. Igitur longe minus utilis illi
Uxor, quisquis erit bonus optandusque maritus.
Nil unquam invita donabis coniuge: vendes
Hac obstante nihil: nihil, haec si nolet, emetur.
Haec dabit affectus: ille excludetur amicus
Iam senior, cuius barbam tua ianua vidit.
Testandi cum sit lenonibus atque lanistis
Libertas et iuris idem contingat arenae:
Non unus tibi rivalis dictabitur heres.
Pone crucem servo: meruit quo crimine servus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? Audi,
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.
O demens, ita servus homo est? nil fecerit, esto:
Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.
Imperat ergo viro: sed mox haec regna relinquit
Permutatque domos et flamea conterit: inde
Advolat et spreti repetit vestigia lecti.
Ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
Vela domus et adhuc virides in limine ramos.
Sic crescit numerus: sic fiunt octo mariti
Quinque per auctumnos: titulo res digna sepulcri.
Desperanda tibi salva concordia socru:
Illa docet spoliis nudi gaudere mariti:

Illa docet, missis a corruptore tabellis,
Nil rude nec simplex rescribere: decipit illa
Custodes aut aere domat: tunc corpore sano
Advocat Archigenen onerosaque pallia iactat.
Abditus interea latet et secretus adulter,
Impatiensque morae silet et praeputia ducit.
Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos
Atque alios mores, quam quos habet? utile porro
Filiolam turpi vetulae producere turpem.
Nulla fere caussa est, in qua non femina litem
Moverit. Accusat Manilia, si rea non est.
Componunt ipsae per se formantque libellos,
Principium atque locos Celso dictare paratae.
Endromidas Tyrias et femineum ceroma
Quis nescit? vel quis non vidit vulnera pali?
Quem cavat assiduis sudibus scutoque lacessit,
Atque omnes implet numeros, dignissima prorsus
Florali matrona tuba: nisi si quid in illo
Pectore plus agitet veraeque paratur arenae.
Quem prestare potest mulier galeata pudorem,
Quae fugit a sexu, vires amat? Haec tamen ipsa
Vir nollet fieri: nam quantula nostra voluptas?
Quale decus rerum, si coniugis auctio fiat,
Balteus et manicae et cristae crurisque sinistri
Dimidium tegmen: vel si diversa movebit
Praelia, tu felix, ocreas vendente puella.
Haec sunt, quae tenui sudant in cyclade, quarum
Delicias et panniculus bombycinus urit.
Adspice, quo fremitu monstratos perferat ictus,
Et quanto galeae curvetur pondere, quanta

Poplitibus sedeat, quam denso fascia libro,
Et ride, scaphium positis quum sumitur armis.
Dicite vos neptes Lepidi caecive Metelli,
Gurgitis aut Fabii, quae ludia sumserit unquam
Hos habitus? quando ad palum gemat uxor Asyli?
Semper habet lites, alternaque iurgia lectus,
In quo nupta iacet: minimum dormitur in illo.
Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride peior,
Quum simulat gemitus occulti conscia facti,
Aut edit pueros, aut ficta pellice plorat,
Uberibus semper lacrimis semperque paratis
In statione sua atque exspectantibus illam,
Quo iubeat manare modo: tu credis amorem,
Tu tibi tunc curruca places fletumque labellis
Exsorbes: quae scripta, et quot lecture tabellas,
Si tibi zelotypae retegantur scrinia moechae.
Sed iacet in servi complexibus aut equitis: dic,
Dic aliquem, sodes, dic, Quintiliane, colorem:
Haeremus: dic ipsa: olim convenerat, inquit,
Ut faceres tu, quod velles: nec non ego possem
Indulgere mihi: clames licet et mare coelo
Confundas, homo sum. Nihil est audacius illis
Deprensis: iram atque animos a crimine sumunt.
Unde haec monstra tamen vel quo de fonte requiris?
Fraestabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva sinebant
Tecta labor somnique breves et vellere Tusco
Vexatae duraeque manus ac proximus urbi
Hannibal et stantes Collina turre mariti.
Nunc patimur longae pacis mala: saevior armis

Luxuria incubuit victumque ulciscitur orbem.
Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit: hinc fluxit ad istos
Et Sybaris colles, hinc et Rhodos et Miletos
Atque coronatum et petulans madidumque Tarentum.
Prima peregrinos obscoena pecunia mores
Intulit et turpi fregerunt saecula luxu
Divitiae molles. Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis et capitis quae sint discrimina, nescit;
Grandia quae mediis iam noctibus ostrea mordet,
Quum perfusa mero spumant unguenta Falerno,
Quum bibitur concha, quum iam vertigine tectum
Ambulat et geminis exsurgit mensa lucernis.
I nunc et dubita, qua sorbeat aëra sanna
Tullia, quid dicat notae collactea Maurae,
Maura Pudicitiae veterem quum praeterit aram.
Noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic
Effigiemque Deae longis siphonibus implent,
Inque vices equitant ac luna teste moventur.
Inde domos abeunt: tu calcas luce reversa
Coniugis urinam magnos visurus amicos.
Nota Bonae secreta Deae, quum tibia lumbos
Incitat et cornu pariter vinoque feruntur
Attonitae crinemque rotant ululantque Priapi
Maenades. O quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitus. Quae vox saltante libidine. Quantus
Ille meri veteris per crura madentia torrens.
Lenonum ancillas posita Saufeia corona
Provocat et tollit pendentis praemia coxae:
Ipsa Medullinae fluctum crissantis adorat:

Palmam inter dominas virtus natalibus aequat.
Nil ibi per ludum simulabitur: omnia fient
Ad verum, quibus incendi iam frigidus aevo.
Laomedontiades et Nestoris hernia possit.
Tunc prurigo morae impatiens, tunc femina simplex,
Et toto pariter repetitus clamor ab antro:
Iam fas est, admitte viros. Dormitat adulter,
Illa iubet sumto iuvenem properare cucullo.
Si nihil est, servis incurritur: abstuleris spem
Servorum, veniet conductus aquarius: hic si
Quaeritur et desunt homines: mora nulla per ipsam,
Quo minus imposito clunem submittat asello.
Atque utinam ritus veteres et publica saltem
His intacta malis agerentur sacra: sed omnes
Noverunt Mauri atque Indi, quae psaltria penem
Maiorem, quam sunt duo Caesaris Anticatones,
Illuc, testiculi sibi conscius unde fugit mus,
Intulerit, ubi velari pictura iubetur,
Quaecunque alterius sexus imitata figuram est.
Et quis tunc hominum contemtor numinis? aut quis
Simpuvium ridere Numae nigrumque catinum
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Ausus erat? sed nunc ad quas non Clodius aras?
Audio, quid veteres olim moneatis amici:
Pone seram, cohibe: sed quis custodiet ipsos
Custodes? cauta est et ab illis incipit uxor.
Iamque eadem summis pariter minimisque libido,
Nec melior, silicem pedibus quae conterit atrum,
Quam quae longorum vehitur cervice Syrorum.
Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,

Conducit comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem et flavam, cui det mandata, puellam.
Haec tamen argenti superest quodcunque paterni
Levibus athletis ac vasa novissima donat.
Multis res angusta domi: sed nulla pudorem
Paupertatis habet, nec se metitur ad illum,
Quem dedit haec posuitque modum. Tamen utile quid sit
Prospiciunt aliquando viri, frigusque famemque
Formica tandem quidam expavere magistra.
Prodiga non sentit pareuntem femina censum
At, velut exhausta recidivus pullulet arca
Nummus et e pleno tollatur semper acervo,
Non unquam reputat, quanti sibi gaudia constent.
Sunt, quas eunuchi imbelles ac mollia semper
Oscula delectent et desperatio barbae,
Et quod abortivo non est opus. Illa voluptas
Summa tamen, quod iam calida matura iuventa,
Inguina traduntur medicis, iam pectine nigro.
Ergo spectatos ac iussos crescere primum
Testiculos, postquam coeperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantum rapit Heliodorus.
Conspicuus longe cunctisque notabilis intrat
Balnea, nec dubie custodem vitis et horti
Provocat, a domina factus spado: dormiat ille
Cum domina: sed tu iam durum, Posthume, iamque
Tondendum eunucho Bromium committere noli.
Si gaudet cantu, nullius fibula durat
Vocem vendentis praetoribus: organa semper
In manibus: densi radiant testudine tota
Sardonyches: crispo numerantur pectine chordae,

Quo tener Hedymeles operas dedit: hunc tenet, hoc se
Solatur gratoque indulget basia plectro.
Quaedam de numero Lamiarum ac nominis alti,
Cum farre et vino Ianum Vestamque rogabat,
An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare et fidibus promittere. Quid faceret plus
Aegrotante viro? medicis quid tristibus erga
Filiolum? Stetit ante aram, nec turpe putavit
Pro cithara velare caput, dictataque verba
Pertulit, ut mos est, et aperta palluit agna.
Dic mihi nunc, quaeso, dic, antiquissime divum,
Respondes his, Iane pater? Magna otia coeli:
Non est, ut video, non est, quod agatur apud vos.
Haec de comoedis te consulit: illa tragoedum
Commendare volet: varicosus fiet haruspex.
Sed cantet potius, quam totam pervolet urbem
Audax, et coetus possit quam ferre virorum
Cumque paludatis ducibus, praesente marito,
Ipsa loqui recta facie strictisque mamillis.
Haec eadem novit, quid toto fiat in orbe:
Quid Seres, quid Thraces agant: secreta novercae
Et pueri: quis amet, quis decipiatur adulter.
Dicet, quis viduam praegnantem fecerit, et quo
Mense: quibus verbis concumbat quaeque, modis quot.
Instantem regi Armenio Parthoque cometen
Prima videt: famam, rumoresque illa recentes
Excipit ad portas: quosdam facit. Isse Niphatem
In populos magnoque illic cuncta arva teneri
Diluvio, nutare urbes, subsidere terras,
Quocunque in trivio, cuicunque est obvia, narrat.

Nec tamen id vitium magis intolerabile, quam quae
Vicinos humiles rapere et concidere loris
Exorata solet. Nam si latratibus alti
Rumpuntur somni: fustes huc ocius, inquit,
Afferte, atque illis dominum iubet ante feriri,
Deinde canem. Gravis occursu, teterrima vultu
Balnea nocte subit: conchas et castra moveri
Nocte iubet: magno gaudet sudare tumultu:
Quum lassata gravi ceciderunt brachia massa
Callidus et cristae digitos impressit aliptes
Ac summum dominae femur exclamare coëgit,
Convivae miseri interea somnoque fameque
Urgentur: tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum sitiens, plena quod tenditur urna
Admotum pedibus, de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim,
Dum redit et loto terram ferit intestino.
Marmoribus rivi properant, aurata Falernum
Pelvis olet: nam sic, tanquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit et vomit. Ergo maritus
Nauseat atque oculis bilem substringit opertis.
Illa tamen gravior, quae quum discumbere coepit,
Laudat Virgilium, periturae ignoscit Elissae,
Committit vates et comparat: inde Maronem
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis
Turba tacet, nec causidicus, nec praeco loquatur,
Altera nec mulier: verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari. Iam nemo tubas, nemo aera fatiget:

Una laboranti poterit succurrere lunae.
Imponit finem sapiens et rebus honestis.
Nam quae docta nimis cupit et facunda videri,
Crure tenus medio tunicas succingere debet,
Caedere Silvano porcum, quadrante lavari.
Non habeat matrona, tibi quae iuncta recumbit,
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes:
Sed quaedam ex libris et non intelligat. Odi
Hanc ego, quae repetit volvitque Palaemonis artem,
Servata semper lege et ratione loquendi,
Ignotosque mihi tenet antiquaria versus,
Nec curanda viris opicae castigat amicae
Verba. Soloecismum liceat fecisse marito.
Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Quum virides gemmas collo circumdedit et quum
Auribus extensis magnos commisit elenchos.
Intolerabilius nihil est, quam femina dives.
Interea foeda adspectu ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppaeana
Spirat, et hinc miseri viscantur labra mariti.
Ad moechum veniet lota cute: quando videri
Vult formosa domi? moechis foliata parantur.
His emitur, quidquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum et tectoria prima reponit:
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas,
Exul Hyperboreum si dimittatur ad axem.
Sed quae mutatis inducitur atque fovetur
Tot medicaminibus coctaeque siliginis offas

Accipit et madidae, facies dicetur, an ulcus?
Est operae pretium, penitus cognoscere, toto
Quid faciant agitentque die. Si nocte maritus
Aversus iacuit, periit libraria, ponunt
Cosmetae tunicas, tarde venisse Liburnus
Dicitur et poenas alieni pendere somni
Cogitur: hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,
Hic scutica: sunt, quae tortoribus annua praestent.
Verberat atque obiter faciem linit: audit amicas,
Aut latum pictae vestis considerat aurum,
Et caedit: longi relegit transversa diurni,
Et caedit, donec lassis caedentibus, exi,
Intonet horrendum, iam cognitione peracta.
Praefectura domus Sicula non mitior aula:
Nam si constituit solitoque decentius optat
Ornari et properat iamque exspectatur in hortis
Aut apud Isiacae potius sacraria lenae:
Disponit crinem laceratis ipsa capillis
Nuda humero Psecas infelix nudisque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? Taurea punit
Continuo flexi crimen facinusque capilli.
Quid Psecas admisit? quaenam est hic culpa puellae,
Si tibi displicuit nasus tuus? Altera laevum
Extendit pectitque comas et volvit in orbem.
Est in consilio matrona admotaque lanis
Emerita quae cessat acu: sententia prima
Huius erit: post hanc aetate atque arte minores
Censebunt, tanquam famae discrimen agatur
Aut animae: tanta est quaerendi cura decoris.
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum

Aedificat caput, Andromachen a fronte videbis,
Post minor est: credas aliam. Cedo, si breve parvi
Sortita est lateris spatium breviorque videtur
Virgine Pygmaea, nullis adiuta cothurnis,
Et levis erecta consurgit ad oscula planta.
Nulla viri cura interea, nec mentio fiet
Damnorum: vivit tanquam vicina mariti.
Hoc solo proprior, quod amicos coniugis odit
Et servos, gravis est rationibus. Ecce furentis
Bellonae matrisque Deum chorus intrat et ingens
Semivir, obscoeno facies referenda minori,
Mollia qui rupta secuit genitalia testa
Iam pridem, cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeia et Phrygia vestitur bucca tiara:
Grande sonat metuique iubet Septembris et Austri
Adventum, nisi se centum lustraverit ovis
Et xerampelinas veteres donaverit ipsi,
Ut, quidquid subiti et magni discriminis instat,
In tunicas eat et totum semel expiet annum.
Hibernum fracta glacie descendet in amnem,
Ter matutino Tiberi mergetur et ipsis
Vorticibus timidum caput abluet: inde Superbi
Totum regis agrum nuda ac tremebunda cruentis
Erepet genibus. Si candida iusserit Io,
Ibit ad Aegypti finem calidaque petitas
A Meroe portabit aquas, ut spargat in aedem
Isidis, antiquo quae proxima surgit ovili.
Credit enim ipsius dominae se voce moneri.
En animam et mentem, cum qua di nocte loquantur.
Ergo hic praecipuum summumque meretur honorem,

Qui grege linigero circumdatus et grege calvo
Plangentis populi currit derisor Anubis.
Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
Concubitu sacris observandisque diebus,
Magnaque debetur violato poena cadurco.
Et movisse caput visa est argentea serpens:
Illius lacrimae meditataque murmura praestant,
Ut veniam culpae non abnuat, ansere magno
Scilicet et tenui popano corruptus Osiris.
Quum dedit ille locum: cophino foenoque relicto
Arcânam Iudaea tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum et magna sacerdos
Arboris ac summi fida internuntia coeli.
Implet et illa manum, sed parcius: aere minuto
Qualiacunque voles Iudaei somnia vendunt.
Spondet amatorem tenerum vel divitis orbi
Testamentum ingens, calidae pulmone columbae
Tractato, Armenius vel Commagenus haruspex:
Pectora pullorum rimabitur, exta catelli,
Interdum et pueri: faciet, quod deferat ipse.
Chaldaeis sed maior erit fiducia: quidquid
Dixerit astrologus, credent a fonte relatum
Hammonis, quoniam Delphis oracula cessant
Et genus humanum damnat caligo futuri.
Praecipuus tamen est horum, qui saepius exsul,
Cuius amicitia conducendaque tabella
Magnus civis obit et formidatus Othoni.
Inde fides artis, sonuit si dextera ferro
Laevaque, si longo castrorum in carcere mansit.
Nemo mathematicus genium indemnatus habebit.

Sed qui paene perit, cui vix in Cyclada mitti
Contigit et parva tandem caruisse Seripho.
Consulit ictericae lento de funere matris,
Ante tamen de te, Tanaquil tua: quando sororem
Efferat et patruos: an sit victurus adulter
Post ipsam? quid enim maius dare numina possunt?
Haec tamen ignorat, quid sidus triste minetur
Saturni, quo laeta Venus se proferat astro,
Qui mensis damnis, quae dentur tempora lucro.
Illius occursus etiam vitare momento,
In cuius manibus, ceu pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas, quae nullum consulit, et iam
Consulitur: quae, castra viro patriamque petente,
Non ibit pariter numeris revocata Thrasylli.
Ad primum lapidem vectari quum placet, hora
Sumitur ex libro: si prurit frictus ocelli
Angulus, inspecta genesi collyria poscit.
Aegra licet iaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.
Si mediocris erit, spatium lustrabit utrumque
Metarum et sortes ducet frontemque manumque
Praebebit vati crebrum poppysma roganti.
Divitibus responsa dabunt Phryx augur et Indus
Conductus, dabit astrorum mundique peritus
Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit.
Plebeium in circo positum est et in aggere fatum.
Quae nudis longum ostendit cervicibus aurum,
Consulit ante phalas delphinorumque columnas,
An saga vendenti nubat, caupone relicto?
Hae tamen et partus subeunt discrimen et omnes

Nutricis tolerant fortuna urgente labores:
Sed iacet aurato vix ulla puerpera lecto.
Tantum artes huius, tantum medicamina possunt,
Quae steriles facit atque homines in ventre necandos
Conducit. Gaude, infelix, atque ipse bibendum
Porrige, quidquid erit: nam si distendere vellet
Et vexare uterum pueris salientibus, esses
Aethiopis fortasse pater: mox decolor heres
Impleret tabulas, nunquam tibi mane videndus.
Transeo suppositos et gaudia votaque saepe
Ad spurcos decepta lacus atque inde petitos
Pontifices, Salios, Scaurorum nomina falso
Corpore laturos. Stat fortuna improba noctu,
Arridens nudis infantibus: hos fovet omnes
Involvitque sinu: domibus tunc porrigit altis
Secretumque sibi mimum parat: hos amat, his se
Ingerit utque suos ridens producit alumnos.
Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti
Et solea pulsare nates. Quod desipis, inde est,
Inde animi caligo et magna oblivio rerum,
Quas modo gessisti. Tamen hoc tolerabile, si non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Caesonia pulli
Infudit. Quae non faciet, quod Principis uxor?
Ardebant cuncta et fracta compage ruebant,
Non aliter, quam si fecisset Iuno maritum
Insanum. Minus ergo nocens erit Agrippinae
Boletus: siquidem unius praecordia pressit
Ille senis tremulumque caput descendere iussit

In coelum et longam manantia labra salivam.
Haec poscit ferrum atque ignes, haec potio torquet:
Haec lacerat mixtos equitum cum sanguine patres.
Tanti partus equae, tanti una venefica constat.
Oderunt natos de pellice: nemo repugnet,
Nemo vetet: iam iam privignum occidere fas est.
Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior est res,
Custodite animas et nulli credite mensae:
Livida materno fervent adipata veneno.
Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit illa,
Quae peperit: timidus praegustet pocula pappas.
Fingimus haec, altum satira sumente cothurnum,
Scilicet, et finem egressi legemque priorum
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu,
Montibus ignotum Rutulis coeloque Latino.
Nos utinam vani: sed clamat Pontia, feci,
Confiteor puerisque meis aconita paravi,
Quae deprensa patent: facinus tamen ipsa peregi.
Tune duos una, saevissima vipera, coena?
Tune duos? Septem, si septem forte fuissent.
Credamus tragicis, quidquid de Colchide saeva
Dicitur et Procne: nil contra conor: et illae
Grandia monstra suis audebant temporibus, sed
Non propter nummos. Minor admiratio summis
Debetur monstris, quoties facit ira nocentem
Hunc sexum et rabie iecur incendente feruntur
Praecipites: ut saxa iugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit.
Illam ego non tulerim, quae computat et scelus

ingens

Sana facit. Spectant subeuntem fata mariti
Alcestim et, similis si permutatio detur,
Morte viri cupiant animam servare catellae.
Occurrent multae tibi Belides atque Eriphylae:
Mane Clytaemnestram nullus non vicus habebit.
Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem
Insulsam et fatuam dextra laevaque tenebat:
At nunc res agitur tenui pulmone rubetae,
Sed tamen et ferro, si praegustaret Atrides
Pontica ter victi cautus medicamina regis.

SATIRA VII.

Et spes et ratio studiorum in Caesare tantum:
Solus enim tristes hac tempestate Camenas
Respexit, quum iam celebres notique poetae
Balneolum Gabiis, Romae conducere furnos
Tentarent, nec foedum alii, nec turpe putarent
Praecones fieri, quum, desertis Aganippes
Vallibus, esuriens migraret in atria Clio.
Nam si Pieria quadrans tibi nullus in umbra
Ostendatur, ames nomen victumque Machaerae,
Et vendas potius, commissa quod auctio vendit
Stantibus, oenophorum, tripodas, armaria, cistas,
Alcithoen Pacci, Thebas et Terea Fausti.
Hoc satius, quam si dicas sub iudice, vidi,
Quod non vidisti, faciant equites Asiani
Quamquam, et Cappadoces faciant, equitesque Bithyni,
Altera quos nudo traducit Gallia talo.

Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicunque canoris
Eloquium vocale modis laurumque momordit.
Hoc agite, o iuvenes: circumspicit et stimulat vos
Materiamque sibi ducis indulgentia quaerit.
Si qua aliunde putas rerum exspectanda tuarum
Praesidia, atque ideo croceae membrana tabellae
Impletur, lignorum aliquid posce ocius, et quae
Componis, dona Veneris, Thelesine, marito,
Aut claude et positos tinea pertunde libellos.
Frange miser calamos vigilataque proelia dele,
Qui facis in parva sublimia carmina cella,
Ut dignus venias hederis et imagine macra.
Spes nulla ulterior: didicit iam dives avarus
Tantum admirari, tantum laudare disertos,
Ut pueri Iunonis avem. Sed defluit aetas
Et pelagi patiens et cassidis atque ligonis.
Taedia tunc subeunt animos, tunc seque suamque
Terpsichoren odit facunda et nuda senectus.
Accipe tunc artes, ne quid tibi conferat iste,
Quem colis, et Musarum et Apollinis aede relicta:
Ipse facit versus atque uni cedit Homero:
Propter mille annos, aut, si dulcedine famae
Succensus recites, Maculonus commodat aedes.
Haec longe ferrata domus servire iubetur,
In qua sollicitas imitatur ianua portas.
Scit dare libertos extrema in parte sedentes
Ordinis et magnas comitum disponere voces.
Nemo dabit regum, quanti subsellia constent
Et quae conducto pendent anabathra tigillo,

Quaeque reportandis posita est orchestra cathedris.
Nos tamen hoc agimus tenuique in pulvere sulcos
Ducimus et littus sterili versamus aratro.
Nam si discedas, laqueo tenet ambitiosi
Consuetudo mali: tenet insanabile multos
Scribendi cacoëthes et aegro in corde senescit.
Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale moneta,
Hunc, qualem nequeo monstrare et sentio tantum,
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Impatiens, cupidus silvarum aptusque bibendis
Fontibus Aonidum: neque enim cantare sub antro
Pierio thyrsumve potest contingere sana
Paupertas atque aeris inops, quo nocte dieque
Corpus eget: satur est, quum dicit Horatius, Euoe.
Quis locus ingenio, nisi quum se carmine solo
Vexant et dominis Cirrhae Nysaeque feruntur
Pectora nostra, duas non admittentia curas?
Magnae mentis opus nec de lodice paranda
Attonitae, currus et equos faciesque deorum
Adspicere, et qualis Rutulum confundat Erinnys.
Nam si Virgilio puer et tolerabile deesset
Hospitium, caderent omnes a crinibus hydri:
Surda nihil gemeret grave buccina. Poscimus, ut sit
Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
Cuius et alveolos et laenam pignerat Atreus.
Non habet infelix Numitor, quod mittat amico:
Quintillae quod donet, habet, nec defuit illi,
Unde emeret multa pascendum carne leonem

Iam domitum: constat leviori belua sumtu
Nimirum, et capiunt plus intestina poetae.
Contentus fama iaceat Lucanus in hortis
Marmoreis: at Serrano tenuique Saleio
Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est?
Curritur ad vocem iucundam et carmen amicae
Thebaidos, laetam quum fecit Statius urbem
Promisitque diem: tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur: sed quum fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.
Ille et militiae multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.
Quod non dant proceres, dabit histrio. Tu Camerinos
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas:
Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos.
Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.
Quis tibi Maecenas? quis nunc erit aut Proculeius,
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio pretium: tunc utile multis
Pallere et vinum toto nescire Decembri.

Vester porro labor fecundior historiarum
Scriptores: petit hic plus temporis atque olei plus:
Namque oblita modi millesima pagina surgit
Omnibus et crescit multa damnosa papyro.
Sic ingens rerum numerus iubet atque operum lex.
Quae tamen inde seges? terrae quis fructus apertae?
Quis dabit historico, quantum daret acta legenti?
Sed genus ignavum, quod lecto gaudet et umbra.

Dic igitur, quid causidicis civilia praestant

Officia et magno comites in fasce libelli?
Ipsi magna sonant, sed tunc, quum creditor audit,
Praecipue, vel si tetigit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen.
Tunc immensa cavi spirant mendacia folles,
Conspuiturque sinus. Veram deprendere messem
Si libet: hinc centum patrimonia causidicorum,
Parte alia solum russati pone Lacernae.
Consedere duces: surgis tu pallidus Aiax
Dicturus dubia pro libertate bubulco
Iudice: rumpe miser tensum iecur, ut tibi lasso
Figantur virides, scalarum gloria, palmae.
Quod vocis pretium? siccus petasunculus et vas
Pelamydum, aut veteres, Maurorum epimenia, bulbi,
Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenae.
Si quater egisti, si contigit aureus unus,
Inde cadunt partes ex foedere pragmaticorum.
Aemilio dabitur, quantum licet, et melius nos
Egimus: huius enim stat currus aëneus, alti
Quadriiuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur
Eminus et statua meditatur proelia lusca.
Sic Pedo conturbat, Matho deficit: exitus hic est
Tongilli, magno cum rhinocerote lavari
Qui solet et vexat lutulenta balnea turba,
Perque forum iuvenes longo premit assere Medos
Emturus pueros, argentum, murrhina, villas.
Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.
Et tamen est illis hoc utile: purpura vendit
Causidicum, vendunt amethystina: convenit illis

Et strepitu, et facie maioris vivere census.
Sed finem impensae non servat prodiga Roma.
Fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.
Respicit haec primum, qui litigat, an tibi servi
Octo, decem comites, an post te sella, togati
Ante pedes. Ideo conducta Paulus agebat
Sardonyche atque ideo pluris, quam Cossus agebat,
Quam Basilus. Rara in tenui facundia panno.
Quando licet Basilo flentem producere matrem?
Quis bene dicentem Basilum ferat? accipiat te
Gallia, vel potius nutricula causidicorum
Africa, si placuit mercedem ponere linguae.
Declamare doces? O ferrea pectora Vecti,
Quum perimit saevos classis numerosa tyrannos.
Nam quaecunque sedens modo legerat, haec eadem stans.
Proferet atque eadem cantabit versibus isdem.
Occidit miseros crambe repetita magistros.
Quis color et quod sit causae genus atque ubi summa
Quaestio, quae veniant diversa parte sagittae,
Nosse velint omnes, mercedem solvere nemo.
Mercedem appellas? quid enim scio? Culpa docentis
Scilicet arguitur, quod laeva in parte mamillae
Nil salit Arcadico iuveni, cuius mihi sexta
Quaque die miserum dirus caput Hannibal implet:
Quidquid id est, de quo deliberat, an petat urbem
A Cannis, an post nimbos et fulmina cautus
Circumagat madidas a tempestate cohortes.
Quantum vis stipulare, et protinus accipe, quod do,
Ut toties illum pater audiat. Ast alii sex

Vel plures uno conclamant ore sophistae,
Et veras agitant lites, raptore relicto:
Fusa venena silent, malus ingratusque maritus,
Et quae iam veteres sanant mortaria caecos.
Ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt
Consilia, et vitae diversum iter ingredietur,
Ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra,
Summula ne pereat, qua vilis tessera venit
Frumenti: quippe haec merces lautissima. Tenta,
Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti
Lautorum pueros, artem scindens Theodori.
Balnea sexcentis et pluris porticus, in qua
Gestetur dominus, quoties pluit: anne serenum
Exspectet spargatque luto iumenta recenti?
Hic potius: namque hic mundae nitet ungula mulae.
Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgat et algentem rapiat coenatio solem.
Quanticunque domus, veniet, qui fercula docte
Componat, veniet, qui pulmentaria condit.
Hos inter sumtus sestertia Quintiliano,
Ut multum, duo sufficient: res nulla minoris
Constabit patri, quam filius. Unde igitur tot
Quintilianus habet saltus? Exempla novorum
Fatorum transi: felix, et pulcer et acer:
Felix, et sapiens et nobilis et generosus
Appositam nigrae lunam subtexit alutae:
Felix, orator quoque maximus et iaculator,
Et, si perfrixit, cantat bene: distat enim, quae
Sidera te excipiant modo primos incipientem
Edere vagitus et adhuc a matre rubentem.

Si Fortuna volet, fies de rhetore consul:
Si volet haec eadem, fies de consule rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud, quam
Sidus et occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis fata triumphum.
Felix ille tamen corvo quoque rarior albo.
Poenituit multos vanae sterilisque cathedrae,
Sicut Thrasymachi probat exitus atque Secundi
Carrinatis: et hunc inopem vidistis, Athenae,
Nil praeter gelidas ausae conferre cicutas.
Di, maiorum umbris tenuem et sine pondere terram
Spirantesque crocos et in urna perpetuum ver,
Qui praeceptorem sancti voluere parentis
Esse loco. Metuens virgae iam grandis Achilles
Contabat patriis in montibus: et cui non tunc
Eliceret risum citharoedi cauda magistri?
Sed Rufum atque alios caedit sua quaeque iuventus,
Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.
Quis gremio Enceladi doctique Palaemonis affert,
Quantum grammaticus meruit labor? et tamen ex hoc,
Quodcunque est (minus est autem, quam rhetoris aera)
Discipuli custos praemordet Acoenonoëtus
Et, qui dispensat, frangit sibi. Cede, Palaemon,
Et patere inde aliquid decrescere: non aliter, quam
Institor hibernae tegetis niveique cadurci,
Dummodo non pereat, mediae quod noctis ab hora
Sedisti, qua nemo faber, qua nemo sederet,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro:
Dummodo non pereat totidem olfecisse lucernas,
Quot stabant pueri, quum totus decolor esset

Flaccus et haereret nigro fuligo Maroni.
Rara tamen merces, quae cognitione tribuni
Non egeat. Sed vos saevas imponite leges,
Ut praeceptori verborum regula constet,
Ut legat historias, auctores noverit omnes,
Tamquam ungues digitosque suos: ut forte rogatus,
Dum petit aut thermas aut Phoebi balnea, dicat
Nutricem Anchisae, nomen patriamque novercae
Anchemoli: dicat, quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas?
Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,
Ut si quis cera vultum facit: exigite, ut sit
Et pater ipsius coetus, ne turpia ludant,
Ne faciant vicibus. Non est leve, tot puerorum
Observare manus oculosque in fine trementes.
Haec, inquit, cures, et, quum se verterit annus,
Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

SATIRA VIII.

Stemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri pictosque ostendere vultus
Maiorum et stantes in curribus Aemilianos
Et Curios iam dimidios humerosque minorem
Corvinum et Galbam auriculis nasoque carentem?
Quis fructus generis tabula iactare capaci
Corvinum, posthac multa contingere virga
Fumosos equitum cum dictatore magistros,
Si coram Lepidis male vivitur? effigies quo

Tot bellatorum, si luditur alea pernox
Ante Numantinos? si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa duces et castra movebant?
Cur Allobrogicis et magna gaudeat ara
Natus in Herculeo Fabius lare, si cupidus, si
Vanus et Euganea quantumvis mollior agna:
Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum
Squalentes traducit avos emtorque veneni
Frangenda miseram funestat imagine gentem?
Tota licet veteres exornent undique cerae
Atria, Nobilitas sola est atque unica virtus.
Paulus vel Cossus vel Drusus moribus esto:
Hos ante effigies maiorum pone tuorum:
Praecedant ipsas illi te consule virgas.
Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi
Iustitiaeque tenax factis dictisque mereris,
Agnosco procerem. Salve Gaetulice, seu tu
Silanus, quocunque alio de sanguine, rarus
Civis et egregius patriae contingis, ovanti
Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri
Invento. Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignos genere et praeclaro nomine tantum
Insignis? Natum cuiusdam Atlanta vocamus,
Aethiopem cycnum, parvam extortamque puellam
Europen: canibus pigris scabieque vetusta
Levibus et siccae lambentibus ora lucernae
Nomen erit pardus, tigris, leo, si quid adhuc est,
Quod fremat in terris violentius. Ergo cavebis
Et metues, ne tu sis Creticus aut Camerinus.
His ego quem monui? tecum est mihi sermo, Rubelli

Blande. Tumes alto Drusorum stemmate, tamquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,
Ut te conciperet, quae sanguine fulget Iuli,
Non quae ventoso conducta sub aggere texit.
Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis:
Ast ego Cecropides. Vivas et originis huius
Gaudia longa feras: tamen ima plebe Quiritem
Facundum invenies: solet hic defendere causas
Nobilis indocti: veniet de plebe togata,
Qui iuris nodos et legum aenigmata solvat.
Hic petis, Euphraten iuvenis domitique Batavi
Custodes aquilas, armis industrius: at tu
Nil, nisi Cecropides truncoque simillimus Hermae,
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet et exsultat rauco Victoria Circo.
Nobilis hic, quocunque venit de gramine, cuius
Clara fuga ante alios et primus in aequore pulvis:
Sed venale pecus Corythae posteritas et
Hirpini, si vera iugo Victoria sedit.
Nil ibi maiorum respectus, gratia nulla
Umbrarum, dominos pretiis mutare iubentur
Exiguis, trito ducunt epiredia collo
Segnipedes dignique molam versare Nepotis.
Ergo ut miremur te, non tua, primum aliquid da,
Quod possim titulis incidere praeter honores,

Quos illis damus et dedimus, quibus omnia debes.
Haec satis ad iuvenem, quem nobis fama superbum
Tradit et inflatum plenumque Nerone propinquo.
Rarus enim ferme sensus communis in illa
Fortuna. Sed te censeri laude tuorum,
Pontice, noluerim, sic ut nihil ipse futurae
Laudis agas. Miserum est aliorum incumbere famae,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer: ambiguae si quando citabere testis
Incertaeque rei, Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, et admoto dictet periuria tauro,
Summum crede nefas animam praeferre pudori
Et propter vitam vivendi perdere causas.
Dignus morte perit, coenet licet ostrea centum
Gaurana et Cosmi toto mergatur aëno.
Exspectata diu tandem provincia quum te
Rectorem accipiet, pone irae frena modumque,
Pone et avaritiae: miserere inopum sociorum.
Ossa vides regum vacuis exsucta medullis.
Respice, quid moneant leges, quid curia mandet,
Praemia quanta bonos maneant, quam fulmine iusto
Et Capito et Numitor ruerint, damnante senatu,
Piratae Cilicum. Sed quid damnatio confert,
Quum Pansa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit?
Praeconem, Chaerippe, tuis circumspice pannis,
Iamque tace. Furor est, post omnia perdere naulum.
Non idem gemitus olim, neque vulnus erat par
Damnorum, sociis florentibus, et modo victis.

Plena domus tunc omnis et ingens stabat acervus
Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,
Et cum Parrhasii tabulis signisque Myronis
Phidiacum vivebat ebur, nec non Polycleti
Multus ubique labor: rarae sine Mentore mensae.
Inde Dolabella est atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres: referebant navibus altis
Occulta spolia et plures de pace triumphos.
Nunc sociis iuga pauca boum, grex parvus equarum
Et pater armenti capto eripiatur agello:
Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum,
Si quis in aedicula Deus unicus. Haec etenim sunt
Pro summis: nam sunt haec maxima. Despicias tu
Forsitan imbelles Rhodios unctamque Corinthum:
Despicias merito. Quid resinata iuventus
Cruraque totius facient tibi levia gentis?
Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis
Illyricumque latus: parce et messoribus illis,
Qui saturant urbem, Circo scenaeque vacantem.
Quanta autem inde feres tam dirae praemia culpae,
Cum tenues nuper Marius discinxerit Afros?
Curandum in primis, ne magna iniuria fiat
Fortibus et miseris. Tollas licet omne, quod usquam est
Auri atque argenti: scutum gladiumque relinques
Et iacula et galeam: spoliatis arma supersunt.
Quod modo proposui, non est sententia: verum
Credite me vobis folium recitare Sibyllae.
Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit Acersecomes, si nullum in coniuge crimen,
Nec per conventus et cuncta per oppida curvis

Unguibus ire parat nummos raptura Celaeno:
Tunc lioet a Pico numeres genus, altaque si te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter maiores ipsumque Promethea ponas:
De quocunque voles proavum tibi sumito libro.
Quod si praecipitem rapit ambitio atque libido,
Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures:
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas claramque facem praeferre pudendis.
Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.
Quo mihi te solitum falsas signare tabellas
In templis, quae fecit avus, statuamque parentis
Ante triumphalem? quo, si nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
Praeter maiorum cineres atque ossa volucri
Carpento rapitur pinguis Lateranus et ipse,
Ipse rotam adstringit multo sufflamine consul;
Nocte quidem sed luna videt, sed sidera testes.
Intendunt oculos. Finitum tempus honoris
Quum fuerit, clara Lateranus luce flagellum
Sumet et occursum numquam trepidabit amici
Iam senis, ac virga prior annuet atque maniplos
Solvet et infundet iumentis hordea lassis.
Interea, dum lanatas torvumque iuvencum
More Numae caedit Iovis ante altaria, iurat
Solam Eponam et facies olida ad praesepia pictas,
Sed quum pervigiles placet instaurare popinas,
Obvius assiduo Syrophoenix udus amomo

Currit, Idumaeae Syrophoenix incola portae,
Hospitis affectu dominum regemque salutat,
Et cum venali Cyane succincta lagena.
Defensor culpae dicet mihi, fecimus et nos
Haec iuvenes. Esto: desisti nempe, nec ultra
Fovisti errorem. Breve sit, quod turpiter audes.
Quaedam cum prima resecentur crimina barba.
Indulge veniam pueris. Lateranus ad illos
Thermarum calices inscriptaque lintea vadit,
Maturus bello, Armeniae Syriaeque tuendis
Amnibus et Rheno atque Istro. Praestare Neronem
Securum valet haec aetas. Mitte ostia, Caesar,
Mitte: sed in magna legatum quaere popina.
Invenies aliquo cum percussore iacentem,
Permistum nautis et furibus ac fugitivis
Inter carnifices et fabros sandapilarum
Et resupinati cessantia tympana Galli:
Aequa ibi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli.
Quid facias talem sortitus, Pontice, servum?
Nempe in Lucanos aut Tusca ergastula mittas.
At vos, Troiugenae, vobis ignoscitis, et, quae
Turpia cerdoni, Volesos Brutumque decebunt.
Quid, si numquam adeo foedis adeoque pudendis
Utimur exemplis, ut non peiora supersint?
Consumtis opibus vocem, Damasippe, locasti
Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Iudice me, dignus vera cruce. Nec tamen ipsi
Ignoscas populo: populi frons durior huius,

Qui sedet et spectat triscurria patriciorum,
Planipedes audit Fabios, ridere potest qui
Mamercorum alapas. Quanti sua funera vendant,
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone,
Nec dubitant celsi praetoris vendere ludis.
Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone:
Quid satius? mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?
Res haud mira tamen, citharoedo principe, mimus
Nobilis. Haec ultra, quid erit nisi ludus? Et illud
Dedecus urbis habes: nec mirmillonis in armis,
Nec clypeo Gracchum pugnantem aut falce supina,
(Damnat enim tales, habitus et damnat et odit)
Nec galea faciem abscondit: movet ecce tridentem,
Postquam librata pendentia retia dextra
Nequidquam effudit, nudum ad spectacula vultum
Erigit et tota fugit agnoscendus arena.
Credamus tunicae, de faucibus aurea quum se
Porrigat et longo iactetur spira galero.
Ergo ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere cum Graccho iussus pugnare secutor.

Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam praeferre Neroni,
Cuius supplicio non debuit una parari
Simia nec serpens unus nec culeus unus?
Par Agamemnonidae crimen, sed causa facit rem
Dissimilem: quippe ille deis auctoribus ultor
Patris erat caesi media inter pocula: sed nec
Electrae iugulo se polluit aut Spartani
Sanguine coniugii: nullis aconita propinquis

Miscuit: in scena numquam cantavit Orestes:
Troica non scripsit. Quid enim Verginius armis
Debuit ulcisci magis, aut cum Vindice Galba?
Quid Nero tam saeva crudaque tyrannide fecit?
Haec opera atque hae sunt generosi principis artes,
Gaudentis foedo peregrina ad pulpita saltu
Prostitui Graiaeque apium meruisse coronae.
Maiorum effigies habeant insignia vocis,
Ante pedes Domiti longum tu pone Thyestae
Syrma vel Antigonae seu personam Menalippes,
Et de marmoreo citharam suspende colosso.
Quid, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi
Inveniet quisquam sublimius? arma tamen vos
Nocturna et flammas domibus templisque parastis,
Ut Bracatorum pueri Senonumque minores,
Ausi, quod liceat tunica punire molesta.
Sed vigilat consul vexillaque vestra coërcet.
Hic novus Arpinas, ignobilis et modo Romae
Municipalis eques galeatum ponit ubique
Praesidium attonitis et in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis et tituli, quantum non Leucade, quantum
Thessaliae campis Octavius abstulit udo
Caedibus assiduis gladio. Sed Roma parentem,
Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno lassus aratro,
Nodosam post haec frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra.
Hic tamen et Cimbros et summa pericula rerum

Excipit, et solus trepidantem protegit urbem.
Atque ideo, postquam ad Cimbros stragemque volabant,
Qui numquam attigerant maiora cadavera, corvi,
Nobilis ornatur lauro collega secunda.
Plebeiae Deciorum animae, plebeia fuerunt
Nomina: pro totis legionibus hi tamen et pro
Omnibus auxiliis atque omni pube Latina
Sufficiunt dis infernis Terraeque parenti.
Pluris enim Decii, quam quae servantur ab illis.
Ancilla natus trabeam et diadema Quirini
Et fasces meruit regum ultimus ille bonorum.
Prodita laxabant portarum claustra tyrannis
Exsulibus iuvenes ipsius consulis et quos
Magnum aliquid dubia pro libertate deceret,
Quod miraretur cum Coclite Mucius, et quae
Imperii fines Tiberinum virgo natavit.
Occulta ad patres produxit crimina servus
Matronis lugendus: at illos verbera iustis
Afficiunt poenis et legum prima securis.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidae similis Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitae similem producat Achilles.
Et tamen, ut longe repetas longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit aut illud, quod dicere nolo.

SATIRA IX.

Scire velim, quare toties mihi, Naevole, tristis
Occurras fronte obducta, ceu Marsya victus,
Quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat
Ravola, dum Rhodopes uda terit inguina barba?
Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.
Non erat hac facie miserabilior Crepereius
Pollio, qui triplicem usuram praestare paratus
Circuit et fatuos non invenit. Unde repente
Tot rugae? certe modico contentus agebas
Vernam equitem, conviva ioco mordente facetus
Et salibus vehemens intra pomoeria natis.
Omnia nunc contra: vultus gravis, horrida siccae
Silva comae, nullus tota nitor in cute, qualem
Bruttia praestabat calidi tibi fascia visci:
Sed fruticante pilo neglecta et squalida crura.
Quid macies aegri veteris, quem tempore longo
Torret quarta dies olimque domestica febris?
Deprendas animi tormenta latentis in aegro
Corpore, deprendas et gaudia: sumit utrumque
Inde habitum facies: igitur flexisse videris
Propositum et vitae contrarius ire priori.
Nuper enim, ut repeto, fanum Isidis et Ganymeden,
Pacis et advectae secreta palatia Matris
Et Cererem (nam quo non prostat femina templo?)
Notior Aufidio moechus celebrare solebas,
Quodque taces, ipsos etiam inclinare maritos.
Utile et hoc multis vitae genus: at mihi nullum
Inde operae pretium. Pingues aliquando lacernas,

Munimenta togae, duri crassique coloris,
Et male percussas textoris pectine Galli
Accipimus, tenue argentum venaeque secundae.
Fata regunt homines: fatum est et partibus illis,
Quas sinus abscondit. Nam si tibi sidera cessant,
Nil faciet longi mensura incognita nervi,
Quamvis te nudum spumanti Virro labello
Viderit, et blandae assidue densaeque tabellae
Sollicitent, *ἀυτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος.*
Quod tamen ulterius monstrum, quam mollis avarus?
Haec tribui, deinde illa dedi, mox plura tulisti.
Computat ac cevet. Ponatur calculus, adsint
Cum tabula pueri: numera sestertia quinque
Omnibus in rebus, numerentur deinde labores.
An facile et pronum est agere intra viscera penem
Legitimum atque illic hesternae occurrere coenae?
Servus erit minus ille miser, qui foderit agrum,
Quam dominum. Sed tu sane tenerum et puerum te
Et pulcrum et dignum cyatho coeloque' putabas.
Vos humili adseculae, vos indulgebitis umquam
Cultori, iam nec morbo donare parati?
En, cui tu viridem umbellam, cui succina mittas
Grandia, natalis quoties redit aut madidum ver
Incipit: et strata positus longaque cathedra
Munera femineis tractas secreta Kalendis.
Dic passer, cui tot montes, tot praedia servas
Appula, tot milvos intra tua pascua lassos?
Te Trifolinus ager fecundis vitibus implet
Suspectumque iugum Cumis et Gaurus inanis.
Nam quis plura linit victuro dolia musto?

Quantum erat exhausti humbos donare clientis
Iugeribus paucis? meliusne hic rusticus infans
Cum matre et casulis et conlusore catello
Cymbala pulsantis legatum fiet amici?
Improbus es, quum poscis, ait: sed pensio clamat,
Posce: sed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam solers evasit Ulysses.
Alter emendus erit: namque hic non sufficit: asabo
Pascendi. Quid agam? bruma spirante quid, oro,
Quid dicam scapulis puerorum aquilone Decembri
Et pedibus? durate atque exspectate cicadas?
Verum, ut dissimules, ut mittas cetera, quanto
Metiris pretio, quod, ni tibi deditus essem
Devotusque cliens, uxor tua virgo maneret?
Scis certe, quibus ista modis, quam saepe rogaris
Et quae pollicitus. Fugientem saepe puellam
Amplexu rapui: tabulas quoque ruperat, et iam
Signabat: tota vix hoc ego nocte redemi,
Te plorante foris. Testis mihi lectulus et tu,
Ad quem pervenit lecti sonus et dominae vox.
Instabile ac dirimi coeptum et iam paene solutum
Coniugium in multis domibus servavit adulter.
Quo te circumagas? quae prima aut ultima ponas?
Nullum ergo meritum est, ingrate ac perfide, nullum,
Quod tibi filiolus, vel filia nascitur ex me?
Tollis enim et libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri. Foribus suspende coronas,
Iam pater es: dedimus, quod famae opponere possis:
Iura parentis habes, propter me scriberis heres,
Legatum omne capis nec non et dulce caducum.

Commoda praeterea iunguntur multa caducis,
Si numerum, si tres implevero. Iusta doloris
Naevole, causa tui. Contra tamen ille quid affert?
Negligit atque alium bipedem sibi quaerit asellum.
Haec soli commissa tibi celare memento,
Et tacitus nostras intra te fige querelas.
Nam res mortifera est inimicus pumice laevis,
Qui modo secretum commiserat, ardet et odit,
Tanquam prodiderim, quidquid scio. Sumere ferrum,
Fuste aperire caput, candelam apponere valvis
Non dubitat. Nec contemnas aut despicias, quod
His opibus numquam cara est annona veneni.
Ergo occulta teges, ut curia Martis Athenis.
O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum
Esse putas? Servi ut taceant, iumenta loquentur,
Et canis et postes et marmora. Claude fenestras,
Vela tegant rimas, iunge ostia, tollite lumen:
E medio, iaceant omnes, prope nemo recumbat:
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem capso sciet, audiet et quae
Finxerunt pariter librarius, archimagiri,
Carptores. Quod enim dubitant componere crimen
In dominos, quoties rumoribus ulciscuntur
Balthea? nec deerit, qui te per compita quaerat
Nolentem, et miseram vinosus inebriet aurem.
Illos ergo roges, quidquid paulo ante petebas
A nobis. Taceant illi: sed prodere malunt
Arcanum, quam subrepti potare Falerni,
Pro populo faciens quantum Saufeia bibebat.
Vivendum recte est, cum propter plurima, tunc his

Praecipue causis, ut linguas mancipiorum
Contemnas: nam lingua mali pars pessima servi.
Deterior tamen hic, qui liber non evit illis,
Quorum animas et farre suo custodit et aere.
Idcirco ut possim linguam contemnere servi,
Utile consilium modo, sed commune, dedisti:
Nunc mihi quid suades post damnum temporis et spes
Deceptas? Festinat enim decurrere velox
Flosculus angustae miseraeque brevissima vitae
Portio: dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.
Ne trepida: numquam pathicus tibi deerit amicus,
Stantibus et salvis his collibus, undique ad illos
Convenient et carpentis et navibus omnes,
Qui digito scalpunt uno caput. Altera maior
Spes superest: tu tantum erucis imprime dentem.
Haec exempla para felicibus: at mea Clotho
Et Lachesis gaudent, si pascitur inguine venter.
O parvi nostrique Lares, quos thure minuto
Aut farre et tenui soleo exorare corona,
Quando ego figam aliquid, quo sit mihi tuta senectus
A tegete et baculo? viginti millia fenus
Pignoribus positis, argenti vascula puri,
Sed quae Fabricius censor notet, et duo fortes
De grege Moesorum, qui me cervice locata
Securum iubeant clamoso insistere Circo.
Sit mihi praeterea curvus caelator et alter,
Qui multas facies pingat cito: sufficiunt haec,
Quando ego pauper ero. Votum miserabile, nec spes

His saltem: nam quum pro me Fortuna rogatur,
Affigit ceras illa de nave petitas,
Quae Siculos cantus effugit remige surdo.

SATIRA X.

Omnibus in terris, quae sunt a Gadibus usque
Auroram et Gangen, pauci dignoscere possunt
Vera bona atque illis multum diversa, remota
Erroris nebula. Quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non poeniteat votique peracti?
Evertere domos totas optantibus ipsis
Di faciles. Nocitura toga, nocitura petuntur
Militia. Torrens dicendi copia multis
Et sua mortifera est facundia. Viribus ille
Confisus periit admirandisque lacertis.
Sed plures nimia congesta pecunia cura
Strangulat et cuncta exsuperans patrimonia census,
Quanto delphinis balaena Britannica maior.
Temporibus diris igitur iussuque Neronis
Longinum et magnos Senecae praedivitis hortos
Clausit et egregias Lateranorum obsidet aedes
Tota cohors: rarus venit in coenacula miles.
Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus gladium contumque timebis,
Et motae ad Lunam trepidabis arundinis umbram:
Cantabit vacuus coram latrone viator.
Prima fere vota et cunctis notissima templis

Divitiae, crescant ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro. Sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, quum pocula sumes
Gemmata et lato Setinum ardebit in auro.
Iamne igitur laudas, quod de sapientibus alter
Ridebat, quoties de limine moverat unum,
Protuleratque pedem, flebat contrarius auctor?
Sed facilis cuivis rigidi censura cachinni:
Mirandum est, unde ille oculis suffecerit humor.
Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quanquam non essent urbibus illis
Praetexta et trabeae, fasces, lectica, tribunal.
Quid, si vidisset praetorem curribus altis
Exstantem et medio sublimem in pulvere Circi
In tunica Iovis et pictae Sarrana ferentem
Ex humeris aulaea togae magnaeque coronae
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?
Quippe tenet sudans hanc publicus, et sibi Consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.
Da nunc et volucrem, sceptro quae surgit eburno,
Illinc cornicines, hinc praecedentia longi
Agminis officia et niveos ad frena Quirites,
Defossa in loculis quos sportula fecit amicos.
Tunc quoque materiam risus invenit ad omnes
Occursus hominum, cuius pudentia monstrat,
Summos posse viros et magna exempla daturos
Vervecum in patria crassoque sub aëre nasci.
Ridebat curas, nec non et gaudia vulgi:
Interdum et lacrumas, quum Fortunae ipse minaci
Mandaret laqueum mediumque ostenderet unguem.

Ergo supervacua aut perniciosa petuntur,
Propter quae fas est, genua incerare Deorum.
Quosdam praecipitat subiecta potentia magnae
Invidiae, mergit longa atque insignis honorum
Pagina, descendunt statuae restemque sequuntur.
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Caedit et immeritis franguntur crura caballis.
Iam stridunt ignes, iam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput et crepat ingens
Seianus: deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt urceoli, pelves, sartago, matellae.
Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatumque bovem: Seianus ducitur unco
Spectandus: gaudent omnes. Quae labra? quis illi
Vultus erat? nunquam, si quid mihi credis, amavi
Hunc hominem. Sed quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indicibus? quo teste probavit?
Nil horum: verbosa et grandis epistola venit
A Capreis. Bene habet, nil plus interrogo. Sed quid
Turba Remi? Sequitur fortunam, ut semper, et odit
Damnatos. Idem populus, si Nursia Tusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Seianum diceret hora
Augustum. Iam pridem, ex quo suffragia nulli
Vendimus, effudit curas: nam, qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia nunc se
Continet atque duas tantum res anxius optat,
Panem et Circenses. Perituros audio multos.
Nil dubium: magna est fornacula: pallidulus mi
Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.

Quam timeo, victus ne poenas exigat Aiax,
Ut male defensus. Curramus praecipites et,
Dum iacet in ripa, calcemus Caesaris hostem.
Sed videant servi, ne quis neget et pavidum in ius
Cervice obstricta dominum trahat. Hi sermones
Tunc te Seiano, secreta haec murmura vulgi.
Visne salutari, sicut Seianus? habere
Tantumdem, atque illi summas donare curules?
Illum exercitibus praeponere? tutor haberi
Principis angusta Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldaeo? Vis certe pila, cohortes
Egregios equites et castra domestica? quid ni
Haec cupias? et, qui nolunt occidere quemquam,
Posse volunt. Sed quae praeclara, et prospera tantum,
Ut rebus laetis par sit mensura malorum?
Huius, qui trahitur, praetextam sumere mavis,
An Fidenarum Gabiorumque esse potestas
Et de mensura ius dicere, vasa minora
Frangere pannosus vacuis Aedilis Ulubris?
Ergo quid optandum foret, ignorasse fateris
Seianum. Nam qui nimios optabat honores
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsae turris tabulata, unde altior esset
Casus et impulsae praeceps immane ruinae.
Quid Crassos, quid Pompeios evertit? et illum,
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus
Magnaque numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris sine caede et vulnere pauci
Descendunt reges et sicca morte tyranni.

Eloquium, aut famam Demosthenis, aut Ciceronis
Incipit optare et totis Quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam,
Quem sequitur custos angustae vernula capsae.
Eloquio sed uterque perit orator: utrumque
Largus et exundans leto dedit ingenii fons.
Ingenio manus est et cervix caesa: nec umquam
Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.
O fortunatam natam me consule Romam.
Antoni gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset. Ridenda poëmata malo,
Quam te conspicuae divina Philippica, famae,
Volveris a prima quae proxima. Saevus et illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenae
Torrentem et pleni moderantem frena theatri,
Dis ille adversis genitus fatoque sinistro,
Quem pater ardentis massae fuligine lippus
A carbone et forcipibus gladiosque parante
Incude et ludeo Vulcano ad rhetora misit.
Bellorum exuviae, truncis affixa tropaeis
Lorica et fracta de casside buccula pendens
Et curtum temone iugum victaeque triremis
Aplustre et summo tristis captivus in arcu
Humanis maiora bonis creduntur: ad hoc se
Romanus Graiusque ac barbarus endoperator
Erexit: causas discriminis atque laboris
Inde habuit. Tanto maior famae sitis est, quam
Virtutis. Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Praemia si tollas? Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum et laudis titulique cupido

Haesuri saxis cinerum custodibus: ad quae
Discutienda valent sterilis mala robora ficus:
Quandoquidem data sunt illis quoque fata sepulcris.
Expende Hannibalem: quot libras in duce summo
Invenies? hic est, quem non capit Africa Mauro
Percussa Oceano Niloque admota tepenti,
Rursus ad Aethiopum populos aliosque elephantos.
Additur imperiis Hispania: Pyrenaeum
Transsilit: opposuit natura Alpemque nivemque:
Diducit scopulos et montem rumpit aceto.
Iam tenet Italiam: tamen ultra pergere tendit.
Actum, inquit, nihil est, nisi Poeno milite portas
Frangimus et media vexillum pono Subura.
O qualis facies et quali digna tabella,
Quum Gaetula ducem portaret belua luscum!
Exitus ergo quis est? o gloria: vincitur idem
Nempe et in exsilium praeceps fugit atque ibi magnus
Mirandusque cliens sedet ad praetoria regis,
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
Finem animae, quae res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt nec tela, sed ille
Cannarum vindex ac tanti sanguinis ultor
Annulus. I, demens, et saevas curre per Alpes,
Ut pueris placeas et declamatio fias.
Unus Pellaeo iuveni non sufficit orbis:
Aestuat infelix angusto limite mundi,
Ut Gyarae clausus scopulis parvaque Seripho.
Cum tamen a figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur,
Quantula sint hominum corpuscula. Creditur olim

Velificatus Athos et quidquid Graecia mendax
Audet in historia: constratum classibus isdem
Suppositumque rotis solidum mare: credimus altos
Defecisse amnes epotaque flumina Medo
Prandente et madidis cantat quae Sostratus alis.
Ille tamen, qualis rediit Salamine relicta,
In Corum atque Eurum solitus saevire flagellis
Barbarus, Aeolio numquam hoc in carcere passos,
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigaeum?
Mitius id sane: quid, non et stigmate dignum
Credidit? huic quisquam vellet servire Deorum?
Sed qualis rediit? Nempe una nave, cruentis
Fluctibus ac tarda per densa cadavera prora.
Has toties optata exegit gloria poenas.
Da spatium vitae, multos da Iuppiter annos.
Hoc recto vultu solum, hoc et pallidus optas.
Sed quam continuis et quantis longa senectus
Plena malis? Deformem et tetrum ante omnia vultum
Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem
Pendentesque genas et tales adspice rugas
Quales, umbriferos ubi pandit Tabraca saltus
In vetula scalpit iam mater simia bucca.
Plurima sunt iuvenum discrimina: pulcrior ille
Hoc, atque ille alio: multum hic robustior illo.
Una senum facies, cum voce trementia membra
Et iam laeve caput madidique infantia nasi.
Frangendus misero gingiva panis inermi:
Usque adeo gravis uxori natisque sibique,
Ut captatori moveat fastidia Cosso.
Non eadem vini atque cibi, torpente palato,

Gaudia: nam coitus iam longa oblivio, vel si
Coneris, iacet exiguus cum ramice nervus
Et, quamvis tota palpetur nocte, iacebit.
Anne aliquid sperare potest haec inguinis aegri
Canities? quid, quod merito suspecta libido est,
Quae Venerem affectat sine viribus? Adspice partis
Nunc damnum alterius. Nam quae cantante voluptas,
Sit licet eximius citharoedus sitve Seleucus,
Et quibus aurata mos est fulgere lacerna?
Quid refert, magni sedeat qua parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiat atque tubarum
Concentus? clamore opus est, ut sentiat auris,
Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.
Praeterea minimus gelido iam in corpore sanguis
Febre calet sola, circumsilit agmine facto
Morborum omne genus: quorum si nomina quaeras,
Promtius expediam, quot amaverit Hippia moechos,
Quot Themison aegros auctumno occiderit uno,
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus
Pupillos: quot longa viros exsorbeat uno
Maura die quot discipulos inclinet Hamillus;
Percurram citius, quot villas possideat nunc,
Quo tondente gravis iuveni mihi barba sonabat.
Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos et luscis invidet: huius
Pallida labra cibum accipiunt digitis alienis,
Ipse ad conspectum coenae diducere rictum
Suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater ieiuna. Sed omni
Membrorum damno maior dementia, quae nec

Nomina servorum, nec vultum agnoscit amici,
Cum quo praeterita coenavit nocte, nec illos,
Quos genuit, quos eduxit. Nam codice saevo
Haeredes vetat esse suos, bona tota feruntur
Ad Phialen: tantum artificis valet halitus oris,
Quod steterat multis in carcere fornicis annis.
Ut vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt
Funera natorum, rogus adspiciendus amatae
Coniugis et fratris, plenaeque sororibus urnae.
Haec data poena diu viventibus, ut, renovata
Semper clade domus, multis in luctibus inque
Perpetuo moerore et nigra veste senescant.
Rex Pylius, magno si quidquam credis Homero,
Exemplum vitae fuit a cornice secundae.
Felix nimirum, qui tot per saecula mortem
Distulit atque suos iam dextra computat annos
Quique novum toties mustum bibit. Oro, parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum et nimio de stamine, quum vidit acris
Antilochi barbam ardentem, quum quaerit ab omni,
Quisquis adest socius, cur haec in tempora duret,
Quod facinus dignum tam longo admiserit aevo?
Haec eadem Peleus, raptum quum luget Achillem,
Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Troia Priamus venisset ad umbras
Assaraci magnis solennibus, Hectore funus
Portante ac reliquis fratrum cervicibus inter
Iliadum lacrumas, ut primos edere planctus
Cassandra inciperet scissaque Polyxena palla,
Si foret exstinctus diverso tempore, quo non

Coeperat audaces Paris aedificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Eversa, et flammis Asiam ferroque cadentem.
Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara
Et ruit ante aram summi Iovis, ut vetulus bos,
Qui domini cultris tenue et miserabile collum
Praebet, ab ingrato iam fastiditus aratro.
Exitus ille utcunque hominis: sed torva canino
Latravit rictu, quae post hunc vixerat, uxor.
Festino ad nostros, et regem transeo Ponti
Et Croesum: quem vox iusti facunda Solonis
Respicere ad longae iussit spatia ultima vitae.
Exsilium et carcer Minturnarumque paludes
Et mendicatus victa Carthagine panis
Hinc causas habuere. Quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius unquam,
Si circumducto captivorum agmine et omni
Bellorum pompa, animam exhalasset opimam,
Quum de Teutonico vellet descendere curru?
Provida Pompeio dederat Campania febres
Optandas: sed multae urbes et publica vota
Vicerunt: igitur fortuna ipsius et urbis
Servatum victo caput abstulit. Hoc cruciatu
Lentulus, hac poena caruit ceciditque Cethegus
Integer, et iacuit Catilina cadavere toto.

Formam optat modico pueris, maiore puellis
Murmure, quum Veneris fanum videt anxia mater,
Usque ad delicias votorum. Cur tamen, inquit,
Corripias? Pulcra gaudet Latona Diana.
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem

Ipsa habuit: cuperet Rutilae Virginia gibbum
Accipere atque suam Rutilae dare. Filius autem
Corporis egregii miseros trepidosque parentes
Semper habet. Rara est adeo concordia formae
Atque pudicitiae. Sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus ac veteres imitāta Sabinos,
Praeterea castum ingenium vultumque modesto
Sanguine ferventem tribuat natura benigna
Larga manu: (quid enim puero conferre potest plus
Custode et cura natura potentior omni?)
Non licet esse viros: nam prodiga corruptoris
Improbitas ipsos audet tentare parentes.
Tanta in muneribus fiducia. Nullus ephebum
Deformem saeva castravit in arce tyrannus:
Nec praetextatum rapuit Nero loripedem nec
Strumosum atque utero pariter gibboque tumentem.
I nunc et iuvenis specie laetare tui, quem
Maiora exspectant discrimina. Fiet adulter
Publicus et poenas metuet, quascunque mariti
Exigere irati: nec erit felicior astro
Martis, ut in laqueos nunquam incidat. Exigit autem
Interdum ille dolor plus, quam lex ulla dolori
Concessit. Necat hic ferro, secat ille cruentis
Verberibus, quosdam moechos et mugilis intrat.
Sed tuus Endymion dilectae fiet adulter
Matronae: mox quum dederit Servilia nummos,
Fiet et illius, quam non amat: exuet omnem
Corporis ornatum. Quid enim ulla negaverit udis
Inguinibus, sive est haec Oppia sive Catulla?
Deterior totos habet illic femina mores,

Sed casto quid forma nocet? quid profuit immo
Hippolyto grave propositum? quid Bellerophonti?
Erubuit nempe haec, ceu fastidita, repulso,
Nec Sthenoboea minus, quam Cressa, excanduit et se
Concussere ambae. Mulier saevissima tunc est,
Quum stimulos odio pudor admovet. Elige, quidnam
Suadendum esse putes, cui nubere Caesaris uxor
Destinat. Optimus hic et formosissimus idem
Gentis patriciae rapitur miser exstinguendus
Messalinae oculis: dudum sedet illa parato
Flameolo, Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur et ritu decies centena dabuntur
Antiquo: veniet cum signatoribus auspex,
Haec tu secreta et paucis commissa putabas.
Non, nisi legitime, vult nubere. Quid placeat, dic:
Ni parere velis, pereundum erit ante lucernas:
Si scelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota Urbi et populo contingat Principis aures.
Dedecus ille domus sciet ultimus: interea tu
Obsequere imperio, sit tanti vita dierum
Paucorum. Quidquid melius leviusque putaris,
Praebenda est gladio pulcra haec et candida cervix.
Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis rebusque sit utile nostris.
Nam pro iucundis aptissima quaeque dabunt di.
Carior est illis homo, quam sibi. Nos animorum
Impulsu et caeca magnaque cupidine ducti,
Coniugium petimus partumque uxoris: at illis
Notum, qui pueri qualisque futura sit uxor.

Ut tamen et poscas aliquid voveasque sacellis
Exta et candiduli divina tomacula porci:
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, mortis terrore carentem,
Qui spatium vitae extremum inter munera ponat
Naturae, qui ferre queat quoscunque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores
Herculis aerumnas credat saevosque labores
Et Venere, et coenis, et pluma Sardanapali.
Monstro, quod ipse tibi possis dare; semita certe
Tranquillae per virtutem patet unica vitae.
Nullum numen habes, si sit prudentia, nos te
Nos facimus, Fortuna, Deam, coeloque locamus.

SATIRA XI.

Atticus eximie si coenat, lautus habetur:
Si Rutilus, demens. Quid enim maiore cachinno
Excipitur vulgi, quam pauper Apicius? Omnis
Convictus, thermae, stationes, omne theatrum
De Rutilo. Nam dum valida ac iuvenilia membra
Sufficiunt galeae, dumque ardens sanguine, fertur,
Non cogente quidem, sed nec prohibente tribuno,
Scripturus leges et regia verba lanistae,
Multos porro vides, quos saepe elusus ad ipsum
Creditor introitum solet exspectare macelli
Et quibus in solo vivendi causa palato est.
Egregiusque coenat meliusque miserrimus horum
Et cito casurus iam perlucente ruina,

Interea gustus elementa per omnia quaerunt,
Nunquam animo pretiis obstantibus. Interius si
Attendas, magis illa iuvant, quae pluris emuntur.
Ergo haud difficile est, perituram arcessere summam
Lancibus oppositis vel matris imagine fracta,
Et quadringentis nummis condire gulosum
Fictile: sic veniunt ad miscellanea ludi
Refert ergo, quis haec eadem paret: in Rutilo nam
Luxuria est: in Ventidio laudabile nomen
Sumit et a censu famam trahit. Illum ego iure
Despiciam, qui scit, quanto sublimior Atlas
Omnibus in Libya sit montibus: hic tamen idem
Ignoret, quantum ferrata distet ab arca
Sacculus. E coelo descendit γνῶθι σεαυτόν,
Figendum et memori tractandum pectore, sive
Coniugium quaeras, vel sacri in parte senatus
Esse velis: nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se transducebat Ulysses
Ancipitem: seu tu magno discrimine causam
Protegere affectas, te consule, dic tibi, qui sis,
Orator vehemens, an Curtius et Matho buccae.
Noscenda est mensura sui spectandaque rebus
In summis minimisque, etiam quum piscis emetur,
Ne mullum cupias, quum sit tibi gobio tantum
In loculis. Quis enim te, deficiente crumena
Et crescente gula, manet exitus, aere paterno
Ac rebus mersis in ventrem, fenoris atque
Argenti gravis et pecorum agrorumque capacem?
Talibus a dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, et digito mendicat Pollio nudo.

Non praematuri cineres, nec funus acerbum
Luxuriae, sed morte magis metuenda senectus.
Hi plerumque gradus: conducta pecunia Romae
Et coram dominis consumitur: inde ubi paulum,
Nescio quid, superest, et pallet fenoris auctor,
Qui vertere solum, Baias, et ad ostrea currunt.
Cedere namque foro iam non est deterius, quam
Esquilias a ferventi migrare Subura.
Ille dolor solus patriam fugientibus, illa
Moestitia est, caruisse anno Circensibus uno.
Sanguinis in facie non haeret gutta: morantur
Pauci ridiculum effugientem ex urbe pudorem.

Experiere hodie, numquid pulcerrima dictu,
Persice, non praestem vita vel moribus et re,
Sed laudem siliquas occultus ganeo, pultes
Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas.
Nam quum sis conviva mihi promissus, habebis
Evandrum, venies Tirynthius aut minor illo
Hospes et ipse tamen contingens sanguine coelum:
Alter aquis, alter flammis ad sidera missus.
Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Haedulus et toto grege mollior, inscius herbae
Necdum ausus virgas humilis mordere salicti,
Qui plus lactis habet, quam sanguinis, et montani
Asparagi, posito quos legit villica fuso.
Grandia praeterea tortoque calentia foeno
Ova adsunt ipsis cum matribus et servatae
Parte anni, quales fuerant in vitibus, uvae:
Signinum Syriumque pirum, de corbibus isdem

Aemula Picenis et odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam
Auctumnum et crudi posuere pericula succi.
Haec olim nostri iam luxuriosa senatus
Coena fuit. Curius, parvo quae legerat horto,
Ipse focis brevibus ponebat oluscula, quae nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor,
Qui meminit, calidae sapiat quid vulva popinae.
Sicci terga suis, rara pendentia crate,
Moris erat quondam festis servare diebus
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.
Cognatorum aliquis titulo ter Consulis atque
Castrorum imperiis et Dictatoris honore
Functus, ad has epulas solito maturius ibat,
Erectum domito referens a monte ligonem.
Quum tremerent autem Fabios durumque Catonem
Et Scauros et Fabricios, postremo severos
Censoris mores etiam collega timeret:
Nemo inter curas et seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Troiugenis factura ac nobile fulcrum:
Sed nudo latere et parvis frons aerea lectis
Vile coronati caput ostendebat aselli,
Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.
Tales ergo cibi, qualis domus atque supellex.
Tunc rudis et Graias mirari nescius artes,
Urbibus eversis, praedarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Ut phaleris gauderet equus, caelataque cassis

Romuleae simulacra ferae mansuescere iussae
Imperii fato, geminos sub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo venientis et hasta
Pendentisque Dei perituro ostenderet hosti.
Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.
Ponebant igitur Tusco farrata catino.
Omnia tunc, quibus invideas, si lividulus sis.
Templorum quoque maiestas praesentior et vox
Nocte fere media mediamque audita per urbem,
Litore ab Oceani Gallis venientibus et dis
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.
Hanc rebus Latiis curam praestare solebat
Fictilis et nullo violatus Iuppiter auro.
Illa domi natas nostraque ex arbore mensas
Tempora viderunt: hos lignum stabat in usus,
Annosam si forte nucem deiecerat Eurus.
At nunc divitibus coenandi nulla voluptas,
Nil rhombus, nil dama sapit: putere videntur
Unguenta atque rosae latos nisi sustinet orbes
Grande ebur et magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes
Et Mauri celeres et Mauro obscurior Indus,
Et quos deposuit Nabataeo belua saltu,
Iam nimios capitique graves. Hinc surgit orexis,
Hinc stomacho bilis: nam pes argenteus illis,
Annulus in digito quod ferreus. Ergo superbum
Convivam caveo, qui me sibi comparat et res
Despicit exiguas. Adeo nulla uncia nobis
Est eboris nec tessellae nec calculus ex hac
Materia: quin ipsa manubria cultellorum

Ossea. Non tamen his ulla umquam obsonia fiunt.
Rancidula, aut ideo peior gallina secatur.
Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus atque aper et pygargus
Et Scythicae volucres et phoenicopterus ingens
Et Gaetulus oryx, hebeti lautissima ferro
Caeditur, et tota sonat ulmea coena Subura.
Nec frustum capreae subducere, nec latus Afrae
Novit avis noster tirunculus ac rudis omni
Tempore et exiguae furtis imbutus ofellae.
Plebeios calices et paucis assibus emtos
Porriget incultus puer atque a frigore tutus:
Non Phryx aut Lycius, non a mangone petitus
Quisquam erit et magno. Quum posces, posce Latine.
Idem habitus cunctis, tonsi rectique capilli
Atque hodie tantum propter convivia pexi.
Pastoris duri est hic filius, ille bubulci.
Suspirat longo non visam tempore matrem
Et casulam et notos tristis desiderat haedos
Ingenui vultus puer ingenuique pudoris,
Quales esse decet, quos ardens purpura vestit:
Nec pugillares defert in balnea raucus
Testiculos, nec vellendas iam praebuit alas,
Crassa nec opposito pavidus tegit inguina gutto.
Hic tibi vina dabit, diffusa in montibus illis,
A quibus ipse venit, quorum sub vertice lusit:
Namque una atque eadem est vini patria atque ministri.
Forsitan expectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro plausuque probatae

Ad terram tremulo descendant clune puellae,
Irritamentum Veneris languentis et acres
Divitis urticae. Maior tamen ista voluptas
Alterius sexus: magis ille extenditur, et mox
Auribus atque oculis concepta urina movetur.
Non capit has nugas humilis domus: audiat ille
Testarum crepitus cum verbis, nudum olido stans
Fornice mancipium quibus abstinet, ille fruatur
Vocibus obscoenis omnique libidinis arte,
Qui Lacedaemonium pytismate lubricat orbem:
Namque ibi fortunae veniam damus. Alea turpis,
Turpe et adulterium mediocribus: haec eadem illi
Omnia quum faciant, hilares nitidique vocantur.
Nostra dabunt alios hodie convivia ludos:
Conditor Iliados cantabitur atque Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam.
Quid refert, tales versus qua voce legantur?
Sed nunc dilatis averte negotia curis
Et gratam requiem dona tibi, quando licebit
Per totam cessare diem: non fenoris ulla
Mentio, nec, prima si luce egressa, reverti
Nocte solet, tacito bilem tibi contrahat uxor,
Humida suspectis referens multicia rugis
Vexatasque comas et vultum auremque calentem.
Protinus ante meum, quidquid dolet, exue limen:
Pone domum et servos et quidquid frangitur illis
Aut perit: ingratos ante omnia pone sodales.
Interea Megalesiacae spectacula mappae,
Idaeum solenne colunt, similisque triumpho
Praeda caballorum praetor sedet ac, mihi pace

Immensae nimiaeque licet si dicere plebis,
Totam hodie Romam circus capit et fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.
Nam si deficeret, moestam attonitamque videres,
Hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
Consulibus. Spectent iuvenes, quos clamor et audax
Sponsio, quos cultae decet assedisse puellae:
Spectent hoc nuptae iuxta recubante marito,
Quod pudeat narrasse aliquem praesentibus ipsis:
Nostra bibat vernum contracta cuticula solem
Effugiatque togam. Iam nunc in balnea, salva
Fronte, licet vadas, quamquam solida hora supersit
Ad sextam. Facere hoc non possis quinque diebus
Continuis, quia sunt talis quoque taedia vitae
Magna. Voluptates commendat rarior usus.

SATIRA XII.

Natali, Corvine, die mihi dulcior haec lux,
Qua festas promissa deis animalia cespes
Exspectat. Niveam Reginae ducimus agnam:
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura.
Sed procul extensum petulans quatit hostia funem,
Tarpeio fervata Iovi, frontemque coruscat:
Quippe ferox vitulus, templis maturus et arae
Spargendusque mero, quem iam pudet ubera matris
Ducere, qui vexat nascenti robora cornu.
Si res ampla domi similisque affectibus esset,
Pinguior Hispulla traheretur taurus et ipsa

Mole piger, nec finitima nutritus in herba,
Laeta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret et a grandi cervix ferienda ministro
Ob reditum trepidantis adhuc horrendaque passi
Nuper et incolumem sese mirantis amici.
Nam praeter pelagi casus, et fulguris ictum
Evasit. Densae coelum abscondere tenebrae
Nube una subitusque antennas impulit ignis,
Quum se quisque illo percussum crederet et mox
Attonitus nullum conferri posse putaret
Naufragium velis ardentibus. Omnia fiunt
Talia, tam graviter, quam quando poetica surgit
Tempestas. Genus ecce aliud discriminis: audi
Et miserere iterum, quamquam sint cetera sortis
Eiusdem: pars dira quidem, sed cognita multis.
Et quam votiva testantur fana tabella
Plurima. Pictores quis nescit ab Iside pasci?
Accidit et nostro similis fortuna Catullo.
Quum plenus fluctu medius foret alveus et iam,
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertae, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem: decidere iactu
Coepit cum ventis, imitatus castora, qui se
Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno
Testiculi: adeo medicatum intelligit inguen.
Fundite, quae mea sunt, dicebat, cuncta Catullus,
Praecipitare volens etiam pulcerrima, vestem
Purpuream, teneris quoque Maecenatibus aptam,
Atque alias, quarum generosi graminis ipsum
Infecit natura pecus, sed et egregius fons

Viribus occultis et Baeticus adiuvat aer.
Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas, urnae cratera capacem,
Et dignum sitiente Pholo vel coniuge Fusci.
Adde et bascaudas et mille escaria, multum
Caelati, biberat quo callidus emtor Olynthi.
Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet
Argento praeferre caput rebusque salutem?
Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed vitio caeci propter patrimonia vivunt.
Iactatur rerum utilium pars maxima: sed nec
Damna levant. Tunc, adversis urgentibus, illuc
Decidit, ut malum ferro summitteret: ac se
Explicat angustum, discriminis ultima quando
Praesidia afferimus, navem factura minorem.
I nunc et ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis a morte remotus
Quatuor aut septem, si sit latissima taeda.
Mox cum reticulis et pane et ventre lagenae
Adspice sumendas in tempestate secures.
Sed postquam iacuit planum mare, tempora postquam
Prospera vectoris, fatumque valentius Euro
Et pelago, postquam Parcae meliora benigna
Pensa manu ducunt hilares et staminis albi
Lanificae, modica nec multum fortior aura
Ventus adest: inopi miserabilis arte cucurrit
Vestibus extensis, et, quod superaverat unum,
Velo prora suo. Iam deficientibus Austris,
Spes vitae cum sole redit: tum gratus Iulo,
Atque novercali sedes praelata Lavino,

Conspicitur sublimis apex, cui candida nomen
Scrofa dedit, laetis Phrygibus mirabile sumen
Et numquam visis triginta clara mamillis.
Tandem intrat positas inclusa per aequora moles
Tyrrhenamque Pharon porrectaque brachia rursum,
Quae pelago currunt medio longeque relinquunt
Italiam. Non sic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit. Sed trunca puppe magister
Interiora petit Baianae pervia cymbae
Tuti stagna sinus. Gaudent ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautae.
Ite igitur, pueri, linguis animisque faventes
Sertaque delubris et farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos glebamque virentem:
Iam sequar et, sacro, quod praestat, rite peracto,
Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas
Accipiunt fragili simulacra nitentia cera.
Hic nostrum placabo Iovem laribusque paternis
Thura dabo atque omnes violae iactabo colores.
Cuncta nitent: longos erexit ianua ramos
Et matutinis operatur festa lucernis.
Nec suspecta tibi sint haec, Corvine: Catullus,
Pro cuius reditu tot pono altaria, parvos
Tres habet heredes. Libet exspectare, quis aegram
Et claudentem oculos gallinam impendat amico
Tam sterili. Verum haec nimia est impensa: coturnix
Nulla umquam pro patre cadet. Sentire calorem
Si coepit locuples Gallita et Paccius orbi,
Legitime fixis vestitur tota tabellis
Porticus: existunt, qui promittant hecatomben:

Quatenus hic non sunt nec venales elephanti,
Nec Latio, aut usquam sub nostro sidere talis
Belua concipitur, sed furva gente petita,
Arboribus Rutulis et Turni pascitur agro,
Caesaris armentum, nulli servire paratum
Privato: siquidem Tyrio parere solebant
Hannibali et nostris ducibus regique Molosso
Horum maiores ac dorso ferre cohortes,
Partem aliquam belli, et euntem in praelia turrim.
Nulla igitur mora per Novium, mora nulla per Histrum
Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras
Et cadat ante lares Gallitae victima sacra,
Tantis digna deis et captatoribus horum.
Alter enim, si concedas mactare, vovebit
De grege servorum magna et pulcerrima quaeque
Corpora, vel pueris et frontibus ancillarum
Imponet vittas et, si qua est nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus, etsi
Non sperat tragicae furtiva piacula cervae.
Laudo meum civem, nec comparo testamento
Mille rates: nam si Libitinam evaserit aeger,
Delebit tabulas, inclusus carcere nassae,
Post meritum sane mirandum, atque omnia soli
Forsan Pacuvio breviter dabit. Ille superbus
Incedet victis rivalibus. Ergo vides, quam
Grande operae pretium faciat iugulata Mycenis.
Vivat Pacuvius, quaeso, vel Nestora totum:
Possideat, quantum rapuit Nero: montibus aurum
Exaequet, nec amet quemquam, nec ametur abullo.

SATIRA XIII.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet auctori. Prima est haec ultio, quod se
Iudice nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia fallaci praetoris vicerit urna.
Quid sentire putas omnes, Calvine, recenti
De scelere et fidei violatae crimine? Sed nec
Tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris
Iacturae te mergat onus: nec rara videmus,
Quae pateris: casus multis hic cognitus ac iam
Tritus et e medio fortunae ductus acervo.
Ponamus nimios gemitus: flagrantior aequo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere maior.
Tu quamvis levium minimam exiguamque malorum
Particulam vix ferre potes, spumantibus ardens
Visceribus, sacrum tibi quod non reddat amicus
Depositum. Stupet haec, qui iam post terga reliquit
Sexaginta annos, Fonteio consule natus?
An nihil in melius tot rerum proficis usu?
Magna quidem, sacris quae dat praecepta libellis,
Victrix Fortunae Sapientia. Ducimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitae,
Nec iactare iugum, vita didicere magistra.
Quae tam festa dies, ut cesset prodere furem,
Perfidiam, fraudes atque omni ex crimine lucrum
Quaesitum et partos gladio vel pyxide nummos?
Rari quippe boni: numerus vix est totidem, quot
Thebarum portae vel divitis ostia Nili.
Nona aetas agitur peioraque saecula ferri

Temporibus, quorum sceleri non invenit ipsa
Nomen et a nullo posuit natura metallo.
Nos hominum divumque fidem clamore ciemus,
Quanto Faesidium laudat vocalis agentem
Sportula. Dic, senior bulla dignissime, nescis,
Quas habeat Veneres aliena pecunia? nescis,
Quem tua simplicitas risum vulgo moveat, quum
Exigis a quoquam, ne peieret et putet ullis
Esse aliquod numen templis araeque rubenti?
Quondam hoc indigenae vivebant more, prius quam
Sumeret agrestem, posito diademate, falcem
Saturnus fugiens: tunc, quum virguncula Iuno
Et privatus adhuc Idaeis Iuppiter antris.
Nulla super nubes convivia coelicolarum,
Nec puer Iliacus formosa nec Herculis uxor
Ad cyathos et iam siccato nectare tergens
Brachia Volcanus Liparaea nigra taberna.
Prandebat sibi quisque deus, nec turba deorum
Talis, ut est hodie, contentaque sidera paucis
Numinibus miserum urgebant Atlanta minori
Pondere. Nondum aliquis sortitus triste profundi
Imperium aut Sicula torvus cum coniuge Pluton.
Nec rotá, nec Furiae, nec saxum, aut vulturis atri
Poena: sed infernis hilares sine regibus umbrae.
Improbitas illo fuit admirabilis aevo.
Credebant hoc grande nefas et morte piandum,
Si iuvenis vetulo non assurrexerat et si
Barbato cuicunque puer, licet ipse videret
Plura domi fraga et maiores glandis acervos.
Tam venerabile erat, praecedere quatuor annis,

Primaque par adeo sacrae lanugo senectae.
Nunc, si depositum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota aerugine follem,
Prodigiosa fides et Tuscis digna libellis,
Quaeque coronata lustrari debeat agna.
Egregium sanctumque virum si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, aut miranti sub aratro
Piscibus inventis et fetae comparo mulae,
Sollicitus, tamquam lapides effuderit imber
Examenque apium longa consederit uva
Culmine delubri, tamquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris et lactis vortice torrens.
Intercepta decem quereris sestertia fraude
Sacrilega? Quid si bis centum perdidit alter
Hoc arcana modo? maiorem tertius illa
Summam, quam patulae vix ceperat angulus arcae?
Tam facile et pronum est, superos contemnere testes,
Si mortalis idem nemo sciat. Adspice, quanta
Voce neget, quae sit ficti constantia vultus?
Per Solis radios, Tarpeiaque fulmina iurat
Et Martis frameam et Cirrhaei spicula vatis,
Per calamos venatricis pharetramque puellae,
Perque tuum, pater Aegaei Neptune, tridentem:
Addit et Herculeos arcus hastamque Minervae,
Quidquid habent telorum armamentaria coeli.
Si vero et pater est: Comedam, inquit, flebile nati
Sinciput elixi Pharioque madentis aceto.

Sunt, in Fortunae qui casibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moveri,
Natura volvente vices et lucis et anni,

Atque ideo intrepidi quaecunque altaria tangunt.
Est alius, metuens ne crimen poena sequatur:
Hic putat esse Deos et peierat, atque ita secum:
Decernat, quodcunque volet, de corpore nostro
Isis et irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel caecus teneam, quos abnego, nummos.
Et phthisis et vomicae putres et dimidium crus
Sunt tanti? Pauper locupletem optare podagram
Nec dubitet Ladas, si non eget Anticyra, nec
Archigene. Quid enim velocis gloria plantae
Praestat et esuriens Pisaeae ramus olivae?
Ut sit magna, tamen certe lenta ira Deorum est.
Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Quando ad me venient? sed et exorabile numen
Fortasse experiar, solet his ignoscere. Multi
Committunt eadem diverso crimina fato:
Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema.
Sic animum dirae trepidum formidine culpae
Confirmant. Tunc te sacra ad delubra vocantem
Praecedit, trahere immo ultro ac vexare paratus.
Nam quum magna malae superest audacia causae,
Creditur a multis fiducia. Mimum agit ille,
Urbani qualem fugitivus scurra Catulli:
Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis,
Vel potius, quantum Gradivus Homericus: Audis
Iuppiter, haec, nec labra moves, quum mittere vocem
Debueras vel marmoreus vel aëneus? aut cur
In carbone tuo charta pia thura soluta
Ponimus et sectum vituli iecur albaque porci
Omenta? Ut video, nullum discrimen habendum est

Effigies inter vestras statuamque Vagelli.
Accipe, quae contra valeat solatia ferre,
Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit
A Cynicis tunica distantia, non Epicurum
Suspicit exigui laetum plantaribus horti.
Carentur dubii medicis maioribus aegri,
Tu venam vel discipulo committe Philippi.
Si nullum in terris tam detestabile factum
Ostendis, taceo, nec pugnis caedere pectus
Te veto, nec plana faciem contundere palma,
Quandoquidem accepto claudenda est ianua damno,
Et maiore domus gemitu, maiore tumultu
Planguntur nummi, quam funera. Nemo dolorem
Fingit in hoc casu, vestem diducere summam
Contentus, vexare oculos humore coacto.
Ploratur lacrimis amissa pecunia veris.
Sed si cuncta vides simili fora plena querela,
Si, decies lectis diversa parte tabellis,
Vana supervacui dicunt chirographa ligni,
Arguit ipsorum quos litera: gemmaque princeps
Sardonychum, loculis quae custoditur eburnis:
Ten', o delicias, extra communia censes
Ponendum? qui tu gallinae filius albae,
Nos viles pulli nati infelicibus ovis?
Rem pateris modicam et mediocri bile ferendam,
Si flectas oculos maiora ad crimina. Confer
Conductum latronem, incendia sulfure coepta
Atque dolo, primos quum ianua colligit ignes:
Confer et hos, veteris qui tollunt grandia templi
Pocula adorandae robiginis et populorum

Dona vel antiquo positas a rege coronas.
Haec ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis et faciem ipsam
Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat.
An dubitet, solitus totum conflare Tonantem?
Confer et artifices mercatoremque veneni
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.
Haec quota pars scelerum, quae custos Gallicus urbis
Usque a lucifero, donec lux occidat, audit?
Humani generis mores tibi nosse volenti
Sufficit una domus: paucos consume dies, et
Dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.
Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroe crasso majorem infante mamillam?
Caerula quis stupuit Germani lumina, flavam
Caesariem et madido torquentem cornua cirro?
Nempe quod haec illis natura est omnibus una.
Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram
Pygmaeus parvis currit bellator in armis:
Mox impar hosti raptusque per aëra curvis
Unguibus a saeva fertur grue. Si videas hoc
Gentibus in nostris, risu quatiare: sed illic
Quamquam eadem assidue spectantur proelia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.
Nullane periuri capitis fraudisque nefandae
Poena erit? Abreptum crede hunc graviore catena
Protinus et nostro (quid plus velit ira?) necari
Arbitrio: manet illa tamen iactura, nec umquam
Depositum tibi sospes erit. Sed corpore trunco

Invidiosa dabit minimus solatia sanguis,
Ac vindicta bonum vita iucundius ipsa.
Nempe hoc indocti, quorum praecordia nullis
Interdum aut levibus videas flagrantia causis.
Quantulacunque adeo est occasio, sufficit irae.
Chrysippus non dicet idem nec mite Thaletis
Ingenium dulcique senex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptae saeva inter vincla cicutae
Accusatori nollet dare. Plurima felix
Paulatim vitia atque errores exuit omnes,
Prima docet rectum sapientia: quippe minuti
Semper et infirmi est animi exiguique voluptas
Ultio. Continuo sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet, quam femina. Cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos et surdo verbere caedit
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Poena autem vehemens ac multo saevior illis,
Quas et Caedicius gravis invenit et Rhadamanthus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.
Spartano cuidam respondit Pythia vates:
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depositum retinere et fraudem iure tueri
Iurando. Quaerebat enim, quae numinis esset
Mens et an hoc illi facinus suaderet Apollo?
Reddidit ergo metu, non moribus, et tamen omnem
Vocem adyti dignam templo veramque probavit
Exstinctus tota pariter cum prole domoque
Et, quamvis longa deductis gente, propinquis.
Has patitur poenas peccandi sola voluntas.

Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet. Cedo, si conata peregit?
Perpetua anxietas nec mensae tempore cessat,
Faucibus ut morbo siccis interque molares
Difficili crescente cibo: Setina misellus
Exspuit: Albani veteris pretiosa senectus
Displicet. Ostendas melius, densissima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.
Nocte brevem si forte indulsit cura soporem
Et toto versata toro iam membra quiescunt:
Continuo templum et violati Numinis aras
Et, quod praecipuis mentem sudoribus urget,
Te videt in somnis, tua sacra et maior imago
Humana turbat pavidum cogitque fateri.
Hi sunt, qui trepidant et ad omnia fulgura pallent,
Quum tonat, exanimes primo quoque murmure coeli,
Non quasi fortuitus, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras et iudicet ignis.
Illa nihil nocuit, cura graviore timetur
Proxima tempestas, velut hoc dilata sereno.
Praeterea, lateris vigili cum febre dolorem
Si coepere pati, missum ad sua corpora morbum
Infesto credunt a numine: saxa deorum
Haec et tela putant. Pecudem spondere sacello
Balantem et laribus cristam promittere galli
Non audent: quid enim sperare nocentibus aegris
Concessum? vel quae non dignior hostia vita?
Mobilis et varia est ferme natura malorum.
Quum scelus admittunt, superest constantia: quid fas
Atque nefas, tandem incipiunt sentire peractis

Criminibus. Tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa et mutari nescia. Nam quis
Peccandi finem posuit sibi? quando recepit
Eiectum semel attrita de fronte ruborem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno
Flagitio? Dabit in laqueum vestigia noster
Perfidus, et nigri patietur carceris uncum
Aut maris Aegaei rupem scopulosque frequentes
Exsulibus magnis. Poena gaudebis amara
Nominis invisi tandemque fatebere laetus,
Nec surdum, nec Teiresiam quemquam esse deorum.

SATIRA XIV.

Plurima sunt, Fuscine, et fama digna sinistra,
Et nitidis maculam haesuram figentia rebus,
Quae monstrant ipsi pueris traduntque parentes.
Si damnosa senem iuvat alea, ludit et heres
Bullatus parvoque eadem movet arma fritillo.
Nec melius de se cuiquam sperare propinquo
Concedet iuvenis, qui radere tubera terrae,
Boletum condire et eodem iure natantes
Mergere ficedulas didicit, nebulone parente
Et cana monstrante gula. Quum septimus annus
Transierit puero, nondum omni dente renato,
Barbatos licet admoveas mille inde magistros,
Hinc totidem, cupiet lauto coenare paratu
Semper et a magna non degenerare culina.
Mitem animum et mores modicis erroribus aequos

Praecipit atque animas servorum et corpora nostra
Materia constare putat paribusque elementis,
An saevire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu et nullam Sirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi laris ac Polyphemus,
Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro?
Quid suadet iuveni laetus stridore catenae,
Quem mire afficiunt inscripta ergastula, carcer
Rusticus? Exspectas, ut non sit adultera Largae
Filia, quae numquam maternos dicere moechos
Tam cito nec tanto poterit contexere cursu,
Ut non ter decies respiret? Conscia matri
Virgo fuit: ceras nunc hac dictante pusillas
Implet et ad moechos dat eisdem ferre cinaedis.
Sic natura iubet: velocius et citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Quum subeunt animos auctoribus. Unus et alter
Forsitan haec spernant iuvenes, quibus arte benigna
Et meliore luto finxit praecordia Titan:
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpae.
Abstineas igitur damnandis: huius enim vel
Una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes sumus: et Catilinam
Quocunque in populo videas, quocunque sub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.
Nil dictu foedum visuque haec limina tangat,
Intra quae puer est: procul hinc, procul ite puellae

Lenonum et cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia. Si quid
Turpe paras, ne tu pueri contemseris annos:
Sed peccaturo obstet tibi filius infans.
Nam, si quid dignum censoris fecerit ira
Quandoque, et similem tibi se non corpore tantum
Nec vultu dederit, morum quoque filius et qui
Omnia deterius tua per vestigia peccet,
Corripies nimirum et castigabis acerbo
Clamore ac post haec tabulas mutare parabis.
Unde tibi frontem libertatemque parentis,
Quum facias peiora senex vacuumque cerebro
Iam pridem caput hoc ventosa cucurbita quaerat?
Hospite venturo, cessabit nemo tuorum:
Verre pavimentum, nitidas ostende columnas,
Arida cum tota descendat aranea tela
Hic leve argentum, vasa aspera tergeat alter:
Vox domini furit instantis virgamque tenentis.
Ergo miser trepidas, ne stercore foeda canino
Atria displiceant oculis venientis amici,
Ne perfusa luto sit porticus: et tamen uno
Semodio scobis haec emendat servulus unus.
Illud non agitas, ut sanctam filius omni
Adspiciat sine labe domum vitioque carentem?
Gratum est, quod patriae civem populoque dedisti,
Si facis, ut patriae sit idoneus, utilis agris,
Utilis et bellorum et pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus et quibus hunc tu
Moribus instituas. Serpente ciconia pullos
Nutrit et inventa per devia rura lacerta:

Illi eadem sumtis quaerunt animalia pinnis.
Vultur, iumento et canibus crucibusque relictis,
Ad fetus properat partemque cadaveris affert.
Hic est ergo cibus magni quoque vulturis et se
Pascentis, propria quum iam facit arbore nidos.
Sed leporem aut capream famulae Iovis et generosae
In saltu venantur aves: hinc praeda cubili
Ponitur: inde autem, quum se matura levavit
Progenies, stimulante fame, festinat ad illam,
Quam primum praedam rupto gustaverat ovo.
Aedificator erat Cetronius et modo curvo
Litore Caietae, summa nunc Tiburis arce,
Nunc Praenestinis in montibus alta parabat
Culmina villarum Graecis longeque petitis
Marmoribus, vincens Fortunae atque Herculis aedem,
Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.
Dum sic ergo habitat Cetronius, imminuit rem,
Fregit opes, nec parva tamen mensura relictae
Partis erat: totam hanc turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas.
Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil praeter nubes et coeli numen adorant,
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit, mox et praeputia ponunt.
Romanas autem soliti contemnere leges,
Iudaicum ediscunt et servant ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses,
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti,
Quaesituri ad fontem solos deducere verpos.
Sed pater in causa, cui septima quaeque fuit lux

Ignava et partem vitae non attigit ullam.
Sponte tamen iuvenes imitantur cetera: solam
Inviti quoque avaritiam exercere iubentur.
Fallit enim vitium specie virtutis et umbra,
Quum sit triste habitu vultuque et veste severum:
Nec dubie tamquam frugi laudatur avarus,
Tamquam parcus homo et rerum tutela suarum
Certa magis, quam si fortunas servet easdem
Hesperidum serpens aut Ponticus. Adde quod hunc, de
Quo loquor, egregium populus putat atque verendum
Artificem: quippe his crescunt patrimonia fabris.
Sed crescunt quocunque modo, maioraque fiunt
Incude assidua semperque ardente camino.
Et pater ergo animi felices credit avaros,
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putat: iuvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant et eidem incumbere sectae.
Sunt quaedam vitiorum elementa: his protinus illos
Imbuit et cogit minimas ediscere sordes:
Mox acquirendi docet insatiabile votum.
Servorum ventres modio castigat iniquo,
Ipse quoque esuriens: neque enim omnia sustinet umquam
Mucida caerulei panis consumere frusta,
Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri, nec non differre in tempora coenae
Alterius conchem aestivam cum parte lacerti
Signatam vel dimidio putrique siluro,
Filaque sectivi numerata includere porri.
Invitatus ad haec aliquis de ponte negabit.
Sed quo divitias haec per tormenta coactas,

Quum furor haud dubius, quum sit manifesta phrenesis,
Ut locuples moriaris, egentis vivere fato?
Interea pleno quum turget sacculus ore,
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crevit,
Et minus hanc optat, qui non habet. Ergo paratur
Altera villa tibi, cum rus non sufficit unum,
Et proferre libet fines, maiorque videtur
Et melior vicina seges. Mercaris et hanc et
Arbusta et densa montem qui canet oliva.
Quorum si pretio dominus non vincitur ullo,
Nocte boves macri lassoque famelica collo
Iumenta ad virides huius mittuntur aristas,
Nec prius inde domum, quam tota novalia saevos
In ventres abeant, ut credas falcibus actum.
Dicere vix possis, quam multi talia plorent
Et quot venales iniuria fecerit agros.
Sed qui sermones? quam foedae buccina famae?
Quid nocet hoc, inquit. Tunicam mihi malo lupini,
Quam si me toto laudet vicinia pago
Exigui ruris paucissima farra secantem.
Scilicet et morbis et debilitate carebis
Et luctum et curam effugies, et tempora vitae
Longa tibi post haec fato meliore dabuntur,
Si tantum culti solus possederis agri,
Quantum sub Tatio populus Romanus arabat.
Mox etiam fractis aetate ac Punica passis
Proelia vel Pyrrhum immanem gladiosque Molossos
Tandem pro multis vix iugera bina dabantur
Vulneribus. Merces ea sanguinis atque laboris
Nullis visa umquam meritis minor, aut ingratae

Curta fides patriae. Saturabat glebula talis
Patrem ipsum turbamque casae, qua fœta iacebat
Uxor et infantes ludebant quatuor, unus
Vernula, tres domini: sed magnis fratribus horum
A scrobe vel sulco redeuntibus altera coena
Amplior et grandes fumabant pultibus ollae.
Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.
Inde fere scelerum causae, nec plura venena
Miscuit aut ferro grassatur saepius ullum
Humanae mentis vitium, quam saeva cupido
Immodici census: nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri. Sed quae reverentia legum,
Quis metus aut pudor est umquam properantis avari?
Vivite contenti casulis et collibus istis,
O pueri, Marsus dicebat et Hernicus olim
Vestinusque senex, panem quaeramus aratro,
Qui satis est mensis: laudant hoc numina ruris,
Quorum ope et auxilio, gratae post munus aristae,
Contingunt homini veteris fastidia quercus.
Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi, qui summovet Euros
Pellibus inversis. Peregrina ignotaque nobis
Ad scelus atque nefas, quaecunque est, purpura ducit.
Haec illi veteres praecepta minoribus: at nunc
Post finem auctumni media de nocte supinum
Clamosus iuvenem pater excitat: Accipe ceras,
Scribe, puer, vigila, causas age, perlege rubras
Maiorum leges aut vitem posce libello.
Sed caput intactum buxo naresque pilosas
Adnotet et grandes miretur Laelius alas.

Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,
Ut locupletem aquilam tibi sexagesimus annus
Afferat, aut, longos castrorum ferre labores
Si piget et trepidum solvunt tibi cornua ventrem.
Cum lituis audita, pares, quod vendere possis
Pluris dimidio, nec te fastidia mercis
Ullius subeant ablegandae Tiberim ultra,
Neu credas ponendum aliquid discriminis inter
Unguenta et corium. Lucri bonus est odor ex re
Qualibet. Illa tuo sententia semper in ore
Versetur, dis atque ipso Iove digna, poetae:
Unde habeas, quaerit nemo, sed oportet habere.
Hoc monstrant vetulae pueris repentibus assae:
Hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae.
Talibus instantem monitis quemcunque parentem
Sic possem affari: Dic, o vanissime, quis te
Festinare iubet? meliorem praesto magistro
Discipulum. Securus abi: vinceris, ut Aiax
Praeteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.
Parcendum est teneris: nondum implevere medullas
Maturae mala nequitiae. Quum pectere barbam
Coeperit et longi mucronem admittere cultri,
Falsus erit testis, vendet periuria summa
Exigua et Cereris tangens aramque pedemque.
Blatam iam crede nurum, si limina vestra
Mortifera cum dote subit. Quibus illa premetur
Per somnum digitis. Nam quae terraque marique
Acquirenda putas, brevior via conferet illi:
Nullus enim magni sceleris labor. Haec ego numquam
Mandavi, dices olim, nec talia suasi.

Mentis causa malae tamen est et origo penes te.
Nam quisquis magni census praecepit amorem,
Et laevo monitu pueros producit avaros,
Et qui per fraudes patrimonia conduplicare
Dat libertatem et totas effundit habenas
Curriculo: quem si revoces, subsistere nescit
Et te contemto rapitur metisque relictis.
Nemo satis credit tantum deliquere, quantum
Permittas: adeo indulgent sibi latius ipsi.
Quum dicis iuveni, stultum, qui donet amico,
Qui paupertatem levet attollatque propinqui:
Et spoliare doces, et circumscribere, et omni
Crimine divitias acquirere, quarum amor in te,
Quantus erat patriae Deciorum in pectore, quantum
Dilexit Thebas, si Graecia vera, Menoeceus:
In quorum sulcis legiones dentibus anguis
Cum clypeis nascuntur et horrida bella capessunt
Continuo, tamquam et tubicen surrexerit una.
Ergo ignem, cuius scintillas ipse dedisti,
Flagrantem late et rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur misero, trepidumque magistrum
In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.

Nota mathematicis genesis tua: sed grave tardas
Exspectare colus. Morieris stamine nondum
Abrupto. Iam nunc obstas et vota moraris:
Iam torquet iuvenem longa et cervina senectus.
Ocius Archigrenen quaere atque eme, quod Mithridates
Composuit, si vis aliam decerpere ficum
Atque alias tractare rosas. Medicamen habendum est,
Sorbere ante cibum quod debeat et pater et rex.

Monstro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,
Nulla aequare queas praetoris pulpita lauti,
Si spectes, quanto capitis discrimine constent
Incrementa domus, aerata multus in arca
Fiscus et ad vigilem ponendi Castora nummi,
Ex quo Mars ultor galeam quoque perdidit et res
Non potuit servare suas. Ergo omnia Florae
Et Cereris licet et Cybeles aulaea relinquas:
Tanto maiores humana negotia ludi.
An magis oblectant animum iactata petauro
Corpora, quique solet rectum descendere funem,
Quam tu, Corycia semper qui puppe moraris
Atque habitas, Coro semper tollendus et Austro,
Perditus ac vilis sacci mercator olentis:
Qui gaudes pingue antiquae de litore Cretae
Passum et municipes Iovis advexisse lagenas?
Hic tamen ancipiti figens vestigia planta
Victum illa mercede parat, brumamque famemque
Illa reste cavet: tu propter mille talenta
Et centum villas temerarius. Adspice portus
Et plenum magnis trabibus mare: plus hominum est iam
In pelago: veniet clasis, quocunque vocarit
Spes lucri, nec Carpathium Gaetulaque tantum
Aequora transsiliet, sed, longe Calpe relicta,
Audiet Herculeo stridentem gurgite solem.
Grande operae pretium est, ut tenso folle reverti
Inde domum possis tumidaque superbus aluta
Oceani monstra et iuvenes vidisse marinos.
Non unus mentes agitat furor: ille sororis
In manibus vultu Eumenidum terretur et igni:

Hic bove percusso mugire Agamemnona credit
Aut Ithacum. Parcat tunicis licet atque lacernis,
Curatoris egèt, qui navem mercibus implet
Ad summum latus et tabula distinguitur unda,
Quum sit causa mali tanti et discriminis huius
Concisum argentum in titulos faciesque minutas.
Occurrunt nubes et fulgura: solvite funem.
Frumenti dominus clamat piperisque coemti.
Nil color hic coeli, nil fascia nigra minatur:
Aestivum tonat. Infelix hac forsitan ipsa
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus et zonam laeva morsuque tenebit.
Sed cuius votis modo non suffecerat aurum,
Quod Tagus et rutila volvit Pactolus arena,
Frigida sufficient velantes inguina panni
Exiguusque cibus, mersa rate naufragus assem
Dum rogat et picta se tempestate tuetur.
Tantis parta malis cura maiore metuque
Servantur. Misera est magni custodia census.
Dispositis praedives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus iubet, attonitus pro
Electro signisque suis Phrygiaque columna,
Atque ebore et lata testudine. Dolia nudi
Non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet.
Cras domus, aut eadem plumbo commissa manebit.
Sensit Alexander, testa quum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis aequanda pericula rebus.
Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te,

Nos facimus, Fortuna, Deam. Mensura tamen quae
Sufficiat census, si quis me consulat, edam:
In quantum sitis atque fames et frigora poscunt,
Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis,
Quantum Socratici ceperunt ante penates
Numquam aliud Natura, aliud Sapientia dicit.
Acribus exemplis videor te claudere: misce
Ergo aliquid nostris de moribus: effice summam
Bis septem ordinibus quam lex dignatur Othonis.
Haec quoque si rugam trahit extenditque labellum:
Sume duos equites, fac tertia quadringenta.
Si nondum implevi gremium, si panditur ultra:
Nec Croesi fortuna umquam, nec Persica regna
Sufficient animo, nec divitiae Narcissi,
Indulsit Caesar cui Claudius omnia, cuius
Paruit imperiis, uxorem occidere iussus.

SATIRA XV.

Quis nescit, Volusi Bythinice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars haec: illa pavet saturam serpentibus ibin.
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicae resonant ubi Memnone chordae
Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.
Illic aeluros, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum et cepe nefas violare et frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis

Numina. Lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa. Nefas illic fetum iugulare capellae:
Carnibus humanis vesci licet. Attonito quum
Tale super coenam facinus narraret Ulysses
Alcinoo, bilem aut risum fortasse quibusdam
Moverat, ut mendax aretalogus In mare nemo
Hunc abicit, saeva dignum veraque Charybdi,
Fingentem immanes Laestrygonas atque Cyclopas?
Nam citius Scyllam vel concurrentia saxa
Cyaneis plenos et tempestatibus utres
Crediderim, aut tenui percussum verbere Circes
Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.
Tam vacui capitis populum Phaeaca putavit?
Sic aliquis merito nondum ebrius et minimum qui
De Corcyraea temetum duxerat urna:
Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.
Nos miranda quidem, sed nuper consule Iunio
Gesta super calidae referemus moenia Copti,
Nos vulgi scelus et cunctis graviora cothurnis.
Nam scelus a Pyrrha, quamquam omnia syrmata volvas,
Nullus apud tragicos populus facit. Accipe, nostro
Dira quod exemplum feritas produxerit aevo.
Inter finitimos vetus atque antiqua simultas.
Immortale odium et numquam sanabile vulnus
Ardet adhuc Ombos et Tentyra: summus utrimque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, quum solos credat habendos
Esse deos, quos ipse colit. Sed tempore festo
Alterius populi rapienda occasio cunctis
Visa inimicorum primoribus ac ducibus, ne

Laetum hilaremque diem, ne magnae gaudia coenae
Sentirent, positis ad templa et compita mensis
Pervigilique toro, quem nocte ac luce iacentem
Septimus interdum sol invenit. Horrida sane
Aegyptus: sed luxuria, quantum ipse notavi,
Barbara famoso non cedit turba Canopo.
Adde, quod et facilis victoria de madidis et
Blaesis atque mero titubantibus. Inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacunque
Unguenta et flores multaeque in fronte coronae:
Hinc ieiunum odium. Sed iurgia prima sonare
Incipiunt animis ardentibus: haec tuba rixae.
Dein clamore pari concurritur, et vice teli
Saevit nuda manus: paucae sine vulnere malae:
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine nasus
Integer. Adspiceres iam cuncta per agmina vultus,
Dimidios, alias facies et hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.
Ludere se credunt ipsi tamen et pueriles
Exercere acies, quod nulla cadavera calcent.
Et sane quo tot rixandis millia turbae,
Si vivunt omnes? Ergo acrior impetus, et iam
Saxa inclinatis per humum quaesita lacertis
Incipiunt torquere, domestica seditione
Tela, nec hunc lapidem, quales et Turnus et Aiax,
Vel quo Tydides percussit pondere coxam
Aeneae: sed quem valeant emittere dextrae
Illis dissimiles et nostro tempore natae.
Nam genus hoc vivo iam decrescebat Homero.
Terra malos homines nunc educat atque pusillos.

Ergo Deus, quicunque adspexit, ridet et odit.
A deverticulo repetatur fabula. Postquam
Subsidiis aucti, pars altera promere ferrum
Audet et infestis pugnam instaurare sagittis:
Terga fuga celeri praestantibus omnibus, instant,
Qui vicina colunt umbrosae Tentyra palmae.
Labitur hinc quidam, nimia formidine cursum
Praecipitans, capiturque: ast illum in plurima sectum
Frusta et particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret, totum corrosis ossibus edit
Victrix turba, nec ardenti decoxit aëno
Aut verubus: longum usque adeo tardumque putavit
Exspectare focos, contenta cadavere crudo.
Hic gaudere libet, quod non violaverit ignem,
Quem summa coeli raptum de parte Prometheus
Donavit terris. Elemento gratulor et te
Exsultare reor. Sed qui mordere cadaver
Sustinuit, nil umquam hac carne libentius edit.
Nam scelere in tanto ne quaeras et dubites, an
Prima voluptatem gula senserit: ultimus autem,
Qui stetit absumto iam toto corpore, ductis
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat
Vascones, ut fama est, alimentis talibus olim
Produxere animas: sed res diversa, sed illic
Fortunae invidia est bellorumque ultima, casus
Extremi, longae dira obsidionis egestas.
Huius enim, quod nunc agitur, miserabile debet
Exemplum esse cibi: sicut modo dicta mihi gens
Post omnes herbas, post cuncta animalia, quidquid
Cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis

Pallorem ac maciem et tenues miserantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, esse parati
Et sua. Quisnam hominum veniam dare, quisve Deorum
Ventribus abnuerit dira atque immania passis,
Et quibus illorum poterant ignoscere manes,
Quorum corporibus vescebantur? Melius nos
Zenonis praecepta monent: nec enim omnia, quaedam
Pro vita facienda putat. Sed Cantaber unde
Stoicus, antiqui praesertim aetate Metelli?
Nunc totus Graias nostrasque habet orbis Athenas.
Gallia causidicos docuit facunda Britannos:
De conducendo loquitur iam rhetore Thule.
Nobilis ille tamen populus, quem diximus, et par
Virtute atque fide sed maior clade Saguntus
Tale quid excusat. Maeotide saevior ara
Aegyptus: quippe illa nefandi Taurica sacri
Inventrix homines (ut iam, quae carmina tradunt,
Digna fide credas,) tantum immolat, ulterius nil
Aut gravius cultro timet hostia. Quis modo casus
Impulit hos? quae tanta fames infestaque vallo
Arma coegerunt, tam detestabile monstrum
Audere? Anne aliam, terga Memphitide sicca,
Invidiam facerent nolenti surgere Nilo?
Qua nec terribiles Cimbri nec Britones umquam,
Sauromataeque truces aut immanes Agathyrsi,
Hac saevit rabie imbelle et inutile vulgus,
Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis
Et brevibus pictae remis incumbere testae.
Nec poenam sceleri invenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt

Et similes ira atque fames. Mollissima corda
Humano generi dare se Natura fatetur,
Quae lacrimas dedit: haec nostri pars optima sensus.
Plorare ergo iubet causam dicentis amici
Squáloremque rei, pupillum ad iura vocantem
Circumscriptorem, cuius manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturae imperio gemimus, quum funus adultae
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans
Et minor igne rogi. Quis enim bonus et face dignus
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Ulla aliena sibi credat mala? Separat hoc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces
Atque exercendis capiendisque artibus apti
Sensum a coelesti demissum traximus arce,
Cuius egent prona et terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos
Affectus petere auxilium et praestare iuberet,
Dispersos trahere in populum, migrare vetusto
De nemore et proavis habitatas linquere silvas,
Aedificare domos, laribus coniungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limite somnos
Ut collata daret fiducia: protegere armis
Lapsum aut ingenti nutantem vulnere civem,
Communi dare signa tuba, defendier isdem
Turribus atque una portarum clave teneri.
Sed iam serpentum maior concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore umquam
Exspiravit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: saevis inter se convenit ursis.
Ast homini ferrum letale incude nefanda
Produxisse parum est, quum rastra et saroula tantum

Adsueti coquere et marris ac vomere lassi.
Nescierint primi gladios extundere fabri.
Adspicimus populos, quorum non sufficit irae
Occidisse aliquem: sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi. Quid diceret ergo,
Vel quo non fugeret, si nunc haec monstra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui
Tamquam homine, et ventri indulsit non omne legumen?

SATIRA XVI.

Quis numerare queat felicis praemia, Galle,
Militiae? Nam si subeantur prospera castra,
Me pavidum excipiat tironem porta secundo
Sidere. Plus etenim fati valet hora benigni,
Quam si nos Veneris commendet epistola Marti
Et Samia genetrix quae delectatur arena.
Commoda tractemus primum communia, quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus
Audeat, immo et, si pulsetur, dissimulet, nec
Audeat excussos praetori ostendere dentes
Et nigram in facie tumidis livoribus offam
Atque oculum medico nil promittente relictum.
Bardaicus iudex datur haec punire volenti
Calceus et grandes magna ad subsellia surae,
Legibus antiquis castrorum et more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra
Et procul a signis. Iustissima centurionum
Cognitio est igitur de milite, nec mihi deerit
Ultio, si iustae defertur causa querelae.
Tota cohors tamen est inimica omnesque manipli
Consensu magno efficiunt, curabilis ut sit
Vindicta et gravior, quam iniuria. Dignum erit ergo
Declamatoris mulino corde Vagelli,
Quum duo crura habeas, offendere tot caligas, tot
Millia clavorum. Quis tam procul absit ab urbe?

Praeterea quis tam Pylades, molem aggeris ultra
Ut veniat? Lacrimae siccentur protinus, et se
Excusaturos non sollicitemus amicos.
Da testem, iudex quum dixerit: audeat ille,
Nescio quis, pugnos qui vidit, dicere, Vidi,
Et credam dignum barba dignumque capillis
Maiorum. Citius falsum producere testem
Contra paganum possis, quam vera loquentem
Contra fortunam armati contraque pudorem.
Praemia nunc alia atque alia emolumenta notemus
Sacramentorum. Convallem ruris aviti
Improbus aut campum mihi si vicinus ademit
Et sacrum effodit medio de limite saxum,
Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo,
Debitor aut sumtos pergit non reddere nummos,
Vana supervacui dicens chirographa ligni:
Exspectandus erit, qui lites inchoet, annus
Totius populi: sed tunc quoque mille ferenda
Taedia, mille morae: toties subsellia tantum
Sternuntur: iam facundo ponente lacernas
Caedicio et Fusco iam micturiente, parati
Digredimur lentaque fori pugnamus arena.
Ast illis, quos arma tegunt et balteus ambit,
Quod placitum est ipsis, praestatur tempus agendi,
Nec res atteritur longo sufflamine litis.
Solis praeterea testandi militibus ius
Vivo patre datur: nam, quae sunt parta labore
Militiae, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cuius regimen pater. Ergo Coranum,
Signorum comitem castrorumque aera merentem,
Quamvis iam tremulus, captat pater. Hunc favor aequus
Provehit et pulcro reddit sua dona labori.
Ipsius certe ducis hoc referre videtur,
Ut, qui fortis erit, sit felicissimus idem,
Ut laeti phaleris omnes et torquibus omnes.

ANNOTATIONES

IN

D. IUNII IUVENALIS SATIRAS.

ANNOTATIONES
IN
D. IUNII IUVENALIS SATIRAS.

SATIRA I.

Vs. 27—29.

Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet aestivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat maioris pondera gemmae:

Crispinus ex servili conditione, impetrato ab Imperatore aurei annuli iure, ad equestrem dignitatem provectus, nobilis et ingenuus videri, et elegantiorum hominum unus esse voluit. Incedebat, ut equites illius temporis, purpura lacerna indutus, sed ut veri equitis speciem haberet, eorum quoque negligentiam inter eundum diligentem, quum lacernam delapsam mox attraheret, mox attractam humeri motu deiiceret, affectabat. *Revocare* igitur, verbum interpretibus h. l. ambiguum, idem significat, quod *attrahere:* quam verbi vim ante me vir doctus in Ephemerid. litt. Ien. Apr. 1822. n. 80. pag. 142 sq., simili ex Suetonii Caesaris c. 45 loco allato, exposuit, quamquam totam eius explicationem non probo. Quem-

admodum poeta h. l. Crispini, qui perfectum se simulabat equitem, fastum et iactantiam acerbe notat, ita Martialis libr. II, epigr. 29., quod sententiae meae veritatem testatur, eodem fere modo stigmatiae cuiusdam, novi equitis, insolentiam indignatur. *Rufe, vides illum subsellia prima tenentem, Cuius et hinc lucet sardonychata manus. Quaeque Tyron toties epotavere lacernae, Et toga non tactas vincere iussa nives: etc.* Eandem ob causam duobus locis Bassum perstringit libr. V, epigr. 24. *Nonnisi vel cocco madida, vel murice tincta Veste nites, et sic dare verba putas. Quadringentorum nullae sunt, Basse, lacernae.* libr. VIII, epigr. 10. *Emit lacernas millibus decem Bassus Tyrias coloris optimi.* His etiam addas libr. II, epigr. 43. *Misit Agenoridae Cadmi tibi terra lacernas.* et quod Mansonus iam laudavit libr. V, epigr. 8., ubi Phasidem purpura ornatum, ut equestri ordini adscriptus videretur, invadit.

Sequenti versu interpretibus *aestivum aurum* offensioni fuit, quod plurimi cum Turnebo in Adverss. libr. XX, c. 2. leviores annulos esse dixerunt. Ac negari nequit, *aestivum* hoc sensu inveniri: nam ut dicere solent aliquem *aestive vestitum*, qui leviter et expedite vestitus est, ita apud Plautum Menaech. act. II, sc. 1, vs. 30. *aestive viaticati* h. e. tenui viatico instructi nominantur. Cuius explicationis adversarius exstitit Censor in Ephemer. Jen. l. l., incertum esse contendens, a Romanis tenuiores aestate, et hieme maiores annulos gestatos fuisse. Addit ex sequenti versu annulum tam grandi gemma intelligendum esse, eum ut vix ferre Crispinus posset. Hoc tam ve-

rum est, quam Crispini ingenio et moribus aptissimum. Homines enim, qui viles et contemtos se sentiunt, nimio ornatu aliorum sibi aestimationem parare student. Atque tale studium Crispini erat: oculos hominum in se trahit magnitudine annuli, sicut apud Martialem II, 29. alius novus eques *sardonychata manu*. Nec minus elegantiam quaerit, consuetudini scilicet eorum addictus, qui annulis quoque anni tempore aliis utebantur. *Aestivum* enim *aurum* h. l. est annulus aureus gemma grandi exornatus, cuius colores aestati conveniunt. Vide Marquardi Freheri sententiam de heliotropo a Kirchmanno in libr. de annulis notatam, et Boettigeri Sabin. p. 412. Quam si ceperis interpretationem, nec dubito, quin ea Crispini moribus accommodatissima sit, Censoris in Ephem. Ien. l. l. *aestivum* cum *sudantibus* coniungendum adverbii vicem sustinere existimantis sententia, ut infirma, nec satis poetae satirici ingenio digna, improbanda erit. Agitat nimirum superbus homo per aera annulum aureum tum refrigerii, tum gemmae praegrandis, et colorum pulchritudinis ostentandae causa.

SATIRA I, vs. 32.

Causidici nova quum veniat lectica Mathonis
Plena ipso?

Matho infra Sat. VII, vs. 129 sqq. pauper causidicus appellatur, quem poeta pariter atque alios et strepitu et facie maioris census vivere dicit. Quae eius divitiarum ostentatio, quum nova lectica vehatur, non alia est, quam quae Martial. libr. II, epigr. 57, in fi-

cto divite notatur: *Quem grex togatus sequitur, et capillatus, Recensque sella, linteisque lorisque.* Lectica enim gestari ditiorum erat et honestiorum signum: ut igitur Matho divitem se simularet, lecticam conduxit, eamque, ut magis splenderet, novam, i. e. antea non usurpatam. Adduntur porro ad augendam hominis superbientis imaginem verba *plena ipso*, quae equidem, quum Mathonem ex Satir. VII. l. l. macrum fuisse contendam, non, ut Rupertus ad corporis obesitatem, sed itidem ad eius vanitatem refero, qui nimirum in lectica sedens tanto fastu se extendit, et iactat, ut totam quasi expleat, nec satis spatii in ea habere videatur. Apud Martialem l. l. fictus ille dives, vacua sella, vagis gressibus incedit, et Horat. Satir. lib. II, sat. 8, vs. 183. alium in circo elate et magnifice spatiantem describit.

SATIRA I., Vs. 58—62.

Quum fas esse putet curam sperare cohortis,
Qui bona donavit praesepibus et caret omni
Maiorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam puer Automedon, nam lora tenebat,
Ipse lacernatae quum se iactaret amicae.

Utrum in Cornelium Fuscum, an Sophonium Tigellinum poeta invehatur, adhuc incertum est: nam alii Tigellinum malunt, alii Fuscum intelligi, in qua sententiarum discrepantia, si Rupertus et Achaintrius rem ad liquidum perducere voluissent, hoc tantum spectare debebant, utri ea, quae Iuvenalis commemorat, si cum Taciti aliorumque narratione conferrentur, maxime consentanea essent. De Cornelio Fusco vide,

quae a Tacito Histor. lib. II, c. 86. III, c. 12. Sueton. Domit. c. 6. et schol. ad Iuv. IV, vs. 112. narrantur; ex quibus nihil de Fusci munere aurigae in Neronis gratiam suscepto discimus. Neque cetera, quae poeta tangit, ad hunc hominem pertinent: non a Nerone, sed a Domitiano praefectus praetorii factus est: nihil de maiorum paupertate, ipsiusque penuria post pecunias equorum studio absumtas sequuta commemoratur, et, quantum ex Tacito colligi licet, divitiis et opulentia excelluit. Dicitur enim prima iuventa, munere senatorio deposito, in colonia sua vixisse quietus. — At in Sophonium Tigellinum omnia in versibus exposita, si praeter scholiastam ad vs. 155. Sat. I. Taciti simul et Dionis Cassii testimonio utamur, cadunt. Tacitus Ann. lib. XIV, c. 51. dicit: *quippe Caesar duos Praetoriis cohortibus imposuerat: Fenium Rufum —: Sophonium Tigellinum, veterem impudicitiam atque infamiam in eo secutus. — Validior Tigellinus in animo Principis, et intimis libidinibus adsumtus.* Histor. lib. I, c. 72. *Sophonius Tigellinus, obscuris parentibus foeda pueritia, impudica senecta, praefecturam vigilum et praetorii, et alia praemia virtutum, quae velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam, et virilia scelera exercuit, corrupto ad omne facinus Nerone.* Addas etiam Dion. Cass. lib. 62, c. 13. *Τιγελλῖνόν τινα Σωφόνιον ἀσελγείᾳ τε καὶ μαιφονίᾳ πάντας τοὺς καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπους ὑπεράραντα, ἐπὶ τὴν τῶν δορυφόρων ἀρχὴν κατέστησε. ὅς τόν τε Νέρωνα ἀπ' ἀυτῶν προεποιήσατο, καὶ τὸν συνάρχοντα Ῥοῦφον παρ' οὐδὲν εἴθετο.* Quae quo-

modo poetae explicationi inserviant, iam videamus Quod Tacitus Tigellinum obscuris parentibus oriundum dicit, egentem scholiasta, idem poeta exprimit verbis et *caret omni maiorum censu*, quae interpretes male ceperunt. Tigellinum enim maiorum opibus privatum fuisse opinantur, quod eas equis alendis dilapidasset. Unde vero a pauperibus parentibus ortus bona sibi paravit, quae praesepibus — quam vocem noli pro lupanaribus sumere — et aurigationi impenderet? Acceperat hereditatem, ut schol. breviter monet, et, auctore Probo Grammatico ad vs. 158 heredipeta erat. Saltibus deinde in Appulia et Calabria emtis, ubi equos pascebat et agitabat, Neronem nactus est amicum, et quum praefectus Praetorianarum cohortium fieri in animo haberet, Caesarem osculis et amplexibus Spori se delectantem in vicis Romae circumvexit (cf. Sueton. Ner. c. 28) libidinum illius socius et adiutor. Huc refero Taciti verba Ann. lib. XIV, c. 51. *validior Tigellinus in animo Principis, et intimis libidinibus adsumtus.* Propter haec Neroni officia, praecipue in rebus amatoriis praestita, non mirum est, ipsi munus praefecti praetorio demandatum fuisse. Ex hac sententiarum coniunctione, quam equidem verissimam esse censeo, me Heineckio verba *pervolat axe citato Flaminiam* ad primum membrum referri suspicanti assentire manifestum est. Tum interpunctio quoque a Rupertiana diversa

-dum pervolat axe citato
Flaminiam puer Automedon,

admodum placet, non quia constructio hoc modo me-

lius procedit, sed quia ipsa sententia eam flagitat, lectoribus statim discentibus, num Tigellinus sui delectandi causa, ut nobiles, qui ad exemplum Caesaris aurigandi studio capti erant, an ut auriga Neronis Flaminiam viam curru pervolasse dicatur. Quo tempore talem se praebuerit, causali enunciatione additur:

nam lora tenebat
Ipse lacernatae quum se iactaret amicae.

Lacernata amica Sporus est, quem puerum Nero, referente Suetonio c. 28. exsectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus est, atque cum dote et flammeo, nuptiarum celeberrimo officio, deductum ad se pro uxore habuit. Dio Cassius lib. LXIII, c. 13. *Ὠνόμασε Σαβίναν τὸν Σπόρον, οὐ κατὰ τοῦτο μόνον, ὅτι διὰ τὴν ὁμοιότητα αὐτῆς ἐξετέτμητο, ἀλλ' ὅτι καὶ ἐγήματο αὐτῷ, ὥσπερ καὶ ἐκείνη, ἐν τῇ Ἑλλάδι, κατὰ συμβόλαιον, ἐκδόντος αὐτὸν τοῦ Τιγελλίνου, ὥσπερ ὁ νόμος ἐκέλευσε.* et paulo post *κ'ᾳκ τούτου συνεγίνοντο ἅμα τῷ Νέρωνι, Πυθαγόρας μὲν ὡς ἀνὴρ, Σπόρος δὲ ὡς γυνή. πρὸς γὰρ τοῖς ἄλλοις καὶ κυρία, καὶ βασίλις, καὶ δέσποινα ὠνόμαζετο.* vid. Reimar. ad. h. l. Suidam in *Σπόρος*, Dion. Chrysost. Orat. XXI. de pulchritud. p. 270. D. sq. Ut hic Sporus, quia lacerna virorum est, lacernata amica per ludibrium dicitur, sic Turno in fragment. 12. poett. min. Wernsdorf. p. 79.

foedosque hymenaeos
Uxoris pueri, Veneris monumenta nefandae.

Se iactare alicui significat vulgo id, quod nos dicimus *groſs thun*, gloriari se apud aliquem, Horat. Od.

lib. 1, od. 2, vs. 18. *Iliae dum se nimium querenti iactat ultorem.* Liv. lib. 39, c. 43. *ibi iactantem sese scorto inter cetera retulisse, quam acriter quaestiones exercuisset, et quam multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos securi percussurus esset;* hoc loco autem *blandiri* more canum, qui blandientes dominis caudam movent et agitant. Persius Sat. IV, vs. 15. *Ante diem blando caudam iactare popello Desinis?* Vertimus schön thun, liebkosen. Sueton. l. l. utitur de Neronis blandimentis dictione *identidem exosculans.*

Tigellinus denique a poeta Automedon singulari Achillis ἡνιόχου respectu nominatur, quem Patroclus Il. XVI., vs. 145 sq.

— μετ' Ἀχιλλῆα ῥηξήνορα τῖε μάλιστα,
Πιστότατος δὲ ὅι ἔσκε μάχῃ ἔνι μεῖναι ὁμοκλήν.

Quemadmodum igitur Patroclus Automedontem praeter Achillem maxime honorabat, isque in pugna ei fidelissimus erat, ita Neroni post Sporum Tigellinus propter fidem in amoribus praestitam carissimus. Fortasse haec quibusdam nimis quaesita et subtilia videantur, sed non sunt Taciti iudicium de Tigellino propositum inspicientibus, praesertim quum poeta satiricus ad singulas passim Homeri carminum partes alludat.

SATIRA I, vs. 66. sqq.

Et multum referens de Maecenate supino
Signator falso, qui se lautum atque beatum
Exiguis tabulis et gemma fecerat uda?

Non debebat Rupertus antiquam interpungendi rationem, Turnebo et Gronovio satis probatam, immutare,

quia si *falso* ad sequentia tractum fuerit, signator nihil habebit, quo qualis ille fuerit accuratius indicetur. Quod tamen h. l. necesse est; praeterea *falso* ad sequentia relatum propter *exiguis tabulis* nullam fere vim habet. Ac minime dura haec dicendi ratio nominanda est: nam *signator falso* pro *in falso* i. e. in falsis tabulis non laedat Iuvenalis lectorem, apud quem omissio praepositionis *in* frequentissima est. *Falsum* autem substantivi vim h. l. obtinet ex consuetudine aevi, ut Tacit. Histor. lib. II, c. 86. Annal. lib. XIV, c. 40, et *crimen falsi* a iurisconsultis potissimum in eos adhibetur, qui testamentum supponunt. Vide quae a Forcell. sub h. v. in lexico collecta sunt. Si quid auguror, poeta tecte in M. Regulum causidicum invehitur, de quo Plinius epist. lib. II, ep. 20, alia ut omittam, haec dicit: *Adspice Regulum, qui ex paupere et tenui ad tantas opes per flagitia processit. — Et habebit, si modo, ut coepit, aliena testamenta (quod est improbissimum genus falsi) ipsis, quorum sunt illa, dictaverit.*

SATIRA I, vs. 81—88.

Censor in Ephem. Ien. litt. April, 1822. n. 20. ordinem horum versuum in omnibus mss. et editionibus pervulgatum ita mutavit:

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.
Et quando uberior vitiorum copia? quando,
Ex quo Deucalion, nimbis tollentibus aequor,
Navigio montem ascendit sortesque poposcit,
Paulatimque anima caluerunt mollia saxa

Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas,
Maior avaritiae patuit sinus —

Ad quam mutationem hac potissimum permotus est causa, quod, quae homines ex Deucalionis temporibus egerint, non satirae, sed universalis historiae argumentum sit. At vero poeta non res ab hominibus ex Deucalionis tempore gestas describere vult in satiris, sed eorum tantum vitia et peccata. Sententia enim haec est: Omnia vitia, quae ab ultima hominum memoria patrata sunt, in hisce satiris nostram aetatem tangentibus collecta invenies. Profecto numquam copia eorum maior, numquam conditio morum peior fuit. Enunciationem, quae in brevius contracta esse poterat, Iuvenalis pro more suo per quatuor versus dilatat, partim ut epicorum imitatione prooemio, quod h. l. incipit, gravitatem addat, partim ut fabulas obiter de hominum primordio rideat. Quae ab epicis sumta poetae consuetudo, quae etiam Sat. IV, vs. 37 sqq. notanda erit, iam sola impedit, quo minus versus illi in alium locum transponantur, ac nullo modo in eum, quem Censor doctus iis assignavit, quia particula *quando*, etsi poeta parentheses admittat, vix potest a verbis suis tam longe seiungi. Deinde quaero, unde factum sit, ut nullo in libro eiusmodi versuum transpositio animadvertatur.

SATIRA I, vs. 89 sq.

alea quando
Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulae, posita sed luditur arca.

Hic, iudice Wunderlichio ad Tibull. lib. I, eleg. 3, vs. 85, vehementer erravit Rupertus, scribens *ponere* esse auf's Spiel setzen. Non id dicere, inquit, voluit Iuvenalis, uno iactu de tota arca contendisse Romanos, sed arcam ad lusum apportandam curasse, ut pecunia ad ludendum sufficeret: quam interpretationem vel verba contraria *non loculis comitantibus* monstrare poterant." *Ponere* saepe idem est, quod *apponere*, ut Tibull. l. l. *positaque lucerna*, et proprium verbum in vinis, quae in mensa convivis apponuntur. Vide Serv. ad Virgil. Aen. lib. I, vs. 706. Heins. ad Ovid. Art. amat. I, vs. 231. Burmann ad Petron. c. 20. *Ad casum tabulae* reddit graece Agathias *τάβλης τύχας*; apud alios *ad tabulam ludere* de tesserarum lusu invenitur. Denique vix est, quod moneam, Heineckium pro *hos animos haec animos* dedisse: multum abest, ut offensioni sit quidquam. Censor doctus in Ephem. Ien. litt. April, 1822. n. 18. recte explicat *hos* per *tot et tales.*

Non minores difficultates obiecerunt eodem loco sequentes versus:

Proelia quanta illic dispensatore videbis
Armigero. Simplexne furor, sestertia centum
Perdere et horrenti tunicam non reddere servo?

Proelia non rixae, iurgia, altercationes collusorum, vel dominorum cum dispensatoribus sunt, sed comparatur tesserarum lusus vere cum proelio, in quo ludentium partes cum suo quaeque dispensatore sibi adversantur, et cupiditate flagrant vincendi, i. e. nummos auferendi. Iuxta vel pone dominum dispensator stat

armiger, qui non talos, ut quidam perverse interpretantur, sed pecunias ad ludendum porrigit. *Dispensatore armigero* ablativi absoluti sunt. De dispensatore vide plura in nota Burmanni ad Petron. c. 36. Apud Plaut. Men. I, 3, 3. parasiti *proelium* congressum in mensa patinarum vocant: *Ego istic mihi hodie apparari iussi apud te proelium. In eo uterque pro Ilio potabimus.* Persa I., 3, 32. Vid. Forcellin. lexic. s. h. v.

Vs. 93. interpretando nihil profecerunt interpretes, alii *reddere* per *restituere* explicantes, alii id simplicis *dare* vim habere existimantes. Neutrum opus est, quamquam factum nonnumquam est, ut Romani vestem perderent alea, quod quidem ex Plaut. Curcul. act. II. sc. ult. apparet, et exempla in Horat. art. poet. vs. 8. et Lucret. lib. II., 512. reperiuntur, ubi *reddere* idem, quod *dare* significat. Propria enim verbi significatio quidni loco apta est? Profecto verissima, adducto Sat. IX. versu 68. *Quid dicam scapulis puerorum Aquilone Decembri Et pedibus?* Dicit poeta: Nonne inaudita insania est, centum sestertiis amissis, servum redeunte hieme, quum frigore horret, non denuo vestire?

SATIRA I, vs. 155—157.

Pone Tigellinum: taeda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media sulcrum diducis arena.

Haec, quae in novissima Ruperti editione expressa leguntur, mihi videntur probanda, at de explicatione

eius ad versum ultimum allata vehementer dubito. Quae equidem verba non de singulari supplicio intelligenda censeo, sed de damnati metu et nimia animi anxietate, quam, quum palo affixus gutture, et tunica picea indutus crematur, pedes volvendo arenamque dividendo palam ostendit. Haec eadem Britannici fuit sententia, quam tamen, alia proposita, rursus reliquit. Heineckius ita explicat: „Si Tigellinum famosis carminibus notaveris, tunica indueris molesta, stipesque per medium agetur guttur, et unco traheris per mediam arenam.“ Ad quam firmandam explicationem idem Plinii Panegyr. c. 33. affert: *Nemo e spectatore spectaculum factus miseras voluptates unco et ignibus expiavit.* et Heinrichius, Gesneri ad Plin. l. notatione respecta, forsan rectius scribi existimat *Aut latum* etc., nisi ex ipsa apud Plinium iunctura vulgatum *et* tueri aliquis velit. Sane ne litterulam quidem mutes; nam ex Plinio duplex his poetae verbis intelligendum supplicium extricari non potest. Uncus enim quum gutturi eorum impingeretur, qui vel in ignem, vel ad Gemonias scalas, vel in Tiberim traherentur, non erat singularis in damnatos poena, sed potius aut ad graviorem aliquam exigendam, aut ea exacta ad corpus in forum populi ludibrio, deinde in fluvium proiiciendum adhibebatur. Vide Iuven. Sat. X, vs. 66. Senec. de ira l. III, c. 3. *et cadavera quoque uncus trahens.* Dion. Cass. l. 58, c. 11. *κατά τε τῶν ἀναβασμῶν ἐρρίφη, καὶ αὐτὸν ὁ ὄμιλος τρισὶν ὅλαις ἡμέραις ἐλυμήνατο, καὶ μετὰ τοῦτο ἐς τὸν ποταμὸν ἐνέβαλε.* Plinii locus in eorum numerum referendus est, ubi unci mentio fit instrumenti, quo

rei ad flammas trahebantur, eoque ad illas usi seriores Romani videntur. Conferatur Senecae lib. II, ep. 14, ubi crudelissimae poenae enumerantur: *Cogita hoc loco carcerem et cruces et eculeos et uncum et adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem, et distracta, in diversam actis cruribus, membra, illam tunicam alimentis ignium et illitam et intextam, quidquid aliud habet praeter haec commenta saevitia.* Iam vero si Romani condemnatos ad flammarum locum, quo comburerentur, unco rapuerunt, non intelligo, cur Iuvenalis verba ante vs. 155. collocanda postposuerit. Hysteron proteron enim statui vix potest. Sin vero alterum unco trahendi modum intelligas, respondeo cum Senec. de tranquillitate animi n. 11.: *ex combusto nihil superfuit, quod carnifex traheret.*

Ad extremum ut Heindorfii, quae fortasse nonnullis placebit, brevem notationem expromam, haec est: „Scribas:

Aut latus media sulcus te ducet arena.

ut intelligatur hiatus pegmatis.“ Neque Codd., quorum plures *deducet* habent, huic correctioni adversantur, et accusativus iam ab aliis mutatus est in nominativum, nihil ut supersit, nisi quaestio, quid haec sibi velint. „Pegmata, ait Casaubonus ad Sueton. Calig. c. 26. in re ludorum dicta ligneae quaedam moles, quae machinamentis occultis attollebantur, deprimebanturque; super iis producti per ludos facinorosi homines, quales gladiatores fere erant, ut vel inibi pugnam inter se committerent, vel spectati a populo, mox solutis compagibus pegmatis, casu suo in foveam, ubi vel ignis vel ferae erant, populum oblectarent.“ Itaque

machina ista in damnatorum, vel scelestorum hominum suppliciis usi sunt, huiusque poenae exemplum Strabo lib. VI. de Siculo latrone commemorat, et Petronius c. 9. *non taces*, inquit, *gladiator obscoene, quem de ruina arena dimisit.* Cf. Lipsium de Amphitheatro c. 22. 23. Scaliger ad Manilium lib. V, vs. 439. Rader. ad Martial. Spectac. epigr. 2, vs. 2. interpp. ad Petron. l. l. et Rupert. ad Iuven. IV, vs. 32. Neque dubitandum est, quin sulcus de spatio inter compages machinae reductas exorto recte dicatur: nam ut alia aliorum scriptorum exempla omittam, solus Nonius l. VI, 2. laudandus est, qui ait: *Sulcus omne quidquid in longitudine aciculeatum est, dici potest, veterum auctoritate doctorum.*

SATIRA II.

Vs. 70—78.

Sed Iulius ardet,
Aestuo. Nudus agas: minus est infamia turpis.
En habitum, quo te leges ac iura ferentem
Vulneribus crudis populus modo victor et illud
Montanum positis audiret vulgus aratris.
Quid non proclames, in corpore indicis ista
Si videas? quaero, an deceant multicia testem?
Acer et indomitus libertatisque magister,
Cretice, perluces.

Primis verbis Creticus se de molli et effeminata veste excusare studet. Tum poeta ad ea respondet: *nudus agas: minus est infamia turpis*: h. e. quamquam infamia est, si sola tunica vestitus agas, ea tamen non

tanta est, ac si tenuem et perlucidam vestem induas. Nimirum Romanis turpe erat sine toga in foro versari, quod ex Sueton. vita Augusti c. 40. aperte elucet: *Negotium Aedilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circove, nisi positis lacernis, togatum consistere.* Cf. Plin. lib. II, ep. 3. Plebecula tantum et turba forensis tunicis, non togis, propter egestatem utebantur. Horat. lib. I. ep. VII, vs. 65. *Vilia vendentem tunicato scruta popello.* Auctor dial. de oratore c. 7. *quod saepius vulgus imperitum et tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat, et digito demonstrat.* Quamobrem lectionem *infamia* non debebat Rupertus aspernari. Sed de hac vocis *nudus* significatione vide Cuperum in Obss. lib. I. c. 7. Burmannum ad Petron. Satiric. cap. 92.; addas etiam Pricaeum ad Apulei. pag. 643. sq. Iam pergit poeta: En habitum, quam ridiculum te praeberes, si talis coram prisco illo populo ageres. Cogita alium iudicem sic vestitum ante oculos collocari, nonne eum infamem clara voce dicas? Imo, ne testem quidem eiusmodi vestes pellucidae decent. Et te, Cretice, qui te acrem stoicae sectae philosophum, et ab omnibus animi affectibus immunem ostendis, non pudet molli et tenuissimo habitu incedere.

Vs. 93—95.

Ille supercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu pingitque trementes
Adtollens oculos:

Haec verba nequaquam obscuram habent senten-

tiam, ac nihil occurrit in iis, quod corruptelam manifeste arguat. Verumtamen viro erudito in Ien. Ephem. Apr. 1822. n. 81. dictio *producere supercilium obliqua acu* maiori offensioni fuit, quam ut locum a vitio vacuum esse existimaret. Medelam igitur hanc adhibuit:

Ille supercilium madida fuligine tactus,
Obliqua producit acu pingitque trementes
Attollens oculos.

idcirco iam non probatam, quia acum crinalem, voce *producis* per *erigit* explicata, oculis attollendis usurpatam dicit. Acu comatoria hoc loco effeminatus homo utitur ad supercilia producenda, ut producta et brevi in confinio luminum intercapedine disiuncta speciem semicirculi exhibeant. Talem Cratinus *μίξοφρυν* nominat. Putabatur enim eiusmodi superciliorum coniunctio pulcherrima: quod quidem Ovid. lib. III de arte am.: *Arte supercilii confinia nuda repletis.* et Claudianus de Maria nova nupta Honorii vs. 167. testantur: *Quam iuncto leviter sese discrimine confert umbra supercilii.* Quid vero *obliqua acu?* Itane forma acus, an aliud quid significetur? Referatur epitheton, ut iam Achaintrius voluit, ad *producit* necesse est, quasi *oblique* positum, et dictum sit *producenda supercilium obliquare*, quod Pollux lib. V, c. 16, p. 120. ita exprimit: *τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογράφει, τὰς ὀφρῦς μελαίνει, εἰς γραμμὰς ἡμικυκλίων περιάγει.* Eundem porro ornandi morem respicium Martialis et Petronius, uterque simili verbo utentes, il e l. IX, epigr. 38. *Nec tecum facies tua dormiat: innuis*

illo, Quod tibi prolatum est mane, supercilio; hic cap. 110. *Imo supercilia etiam profert de pyxide.* Plinius Hist. nat. l. XXXIII, c. 6. ubi de natura et vi stibii loquitur, dictionem *dilatare oculos* adhibet, Tertullianus de habitu mulierum c. 2. dicit *oculorum exordia producuntur*, et Arnobius *oculos fuligine inumbrare.* Quid, quod illud ipsum stibium propter facultatem oculos producendi πλατυόφθαλμον a Dioscoride lib. V, 99. et Plin. l. l., et ob pulchritudinem, quam mulieribus tribuit, καλλιβλέφαρον appellatur. Vide plura de hac re a Gonsalio de Salas in comment. ad Petron. c. 126. a Iano Dousa in Praecidan. lib. II, c. 9. collecta.

Alterum erat *oculos pingere*, h. e. palpebras, vel extrema cilia fuco collinere, quum oculi magni et lati in deliciis essent. Qui oculorum infectus quando fiebat, palpebrae attollebantur, et vel fuligine, vel instrumento tactae tremebant. Eundem ornandi morem e Plin. lib. XI, c. 37. cognoscimus: *Palpebrae in genis homini utrimque. mulieribus vero etiam infectae quotidiano. Tanta est decoris adfectatio, ut tingantur quoque oculi.* et plurima apud patres, qui dicuntur, ecclesiasticos loca inveniuntur, quibus illa pulchritudinis adfectatio vehementer exprobratur. cf. Gonsal. de Salas ad Petronium c. 110.

SATIRA II, vs. 96 sqq.

Loquitur poeta de viris muliebria foede imitantibus, quorum

vitreo bibit ille Priapo
Reticulumque comis auratum ingentibus implet.
Caerulea indutus, scutulata, aut galbana rasa
It per Iunonem domini iurante ministro.

Ita scribi suadet Heinderfius ad marginem editionis Bipont., Virgilii Aen. l. VI, vs. 589. *mediaeque per Elidis urbem Ibat ovans divumque sibi poscebat honorem*, lib. IX, vs. 269. *quibus ibat in armis Aureus*, aliaque afferens. Quae mutatio, si textum respexeris, non improbanda est, atque *it* cum *ille*, *esse*, *et* confusum in Mss. docet Drakenb. ad Sil. Ital. lib. II, vs. 521 et XV, vs. 151, quamquam vulgatam lectionem praeferendam duxi. Caerulea indutus quid sit, de eo silent omnes fere interpretes, ambigui simul de vestibus scutulatis, quibus figurae scutularum intextae erant. Diodorus Siculus lib. V, c. 30. de eiusmodi textura loquens πλινθίοις utitur. Caeruleus color praeter vulgarem duas habet significationes, aut est dilutus ad album, quem Graeci χλωρὸν dicunt, ut apud Propertium lib. IV, el. 2, vs. 43. *Caeruleus cucumis*, aut color viridis ad fuscum, vel atrum accedens: quae posterior h. l. adhibenda, ut caerulea vestimenta eadem sint, quae Germanorum dunkelgrüne Kleider. Ita quoque Grangaeus vocem exponit. Prior illa non quadrat, quia galbana sequuntur, i. e. χλωραὶ ἐσθῆτες. Idem nonnumquam atrum, fuscum colorem indicat, quae significatio e posteriore

derivatur. Vide Virgil. Aen. lib. III, vs 63. ibique Servium. Virgil. Aen. lib. VI, vs. 410. *caerula puppis Charontis*, quae vs. 303. *ferruginea* dicitur: unde Iuvenalis verba Satir. XIV, vs. 128. *mucida caerulei panis consumere frusta.* interpreteris necesse est. Reliqui vero vulgatam caerulei significationem ideo, quia color viridis Romanis tum temporis in deliciis fuit, quod quidem ex multis locis colligi potest. Iuven. Satir. V, vs. 143. *viridem thoraca iubebit afferri.* Satir. IX, vs 50. *En, cui tu viridem umbellam mittas.* Neque id mirum: gratissima enim Caesaribus factio prasina erat, praecipue Caligulae (Sueton. c. 55.), a quibus, ut fieri solet, tantus in prasinatos favor ad populum (Iuven. XI, vs. 196.), ac praesertim ad mulieres transiit, ut eorum colorem non solum vestimentis, sed aliis quoque rebus imitarentur. Hinc apud Martialem lib. III, ep. 82. *Supina prasino concubina flabello.* lib. X, ep. 29. *De nostra prasina est synthesis empta toga.* Cur Trimalchio Petronii ad res vilissimas colorem prasinum adhibuerit, vide notam Burmanni ad Petron. c. 27.

SATIRA III.

Vs. 18 sq.

Quanto praestantius esset
Numen aquae, viridi si margine clauderet undas
Herba, —

Ad verbum *praestantius*, quod numini fontis inconvenientissimum esset, removendum, duae sunt a viris doctis coniecturae propositae. Ut statim Wakefieldum ad

Lucret. lib. I, vs. 251 commentorem, is ita scribi suadet: *Quanto praestantius isset Flumen aquae*, quae tamen nullo modo probanda sunt. Neque meliora N. Heinsius ad Ovid. Metam. lib. XV, vs. 757, et iam ante eum Grangaeus dederunt: *Quanto praesentius esset Numen aquae*, quo maior numinis praesentia eius indicatus favor exprimeretur. Enimvero poetae, quantum ex verborum contextu apparet, dicendum erat, fontem, si naturam retinuisset suam, neque arte corruptus ac violatus esset, pulchriorem, excellentiorem et numini iucundiorem esse. Cui verborum explicationi quae etiam viro doctissimo in Ephem. litt. Ien. n. 21. April. 1822. placet, loquutio *numen aquae*, in qua omnem difficultatem deprehendimus, contraria non est, si quidem eam idem, quod *divinum fontem*, significare dicas. Numina in fontibus et aquis habitare, iisque praeesse, vetus opinio est, atque inde plura fontium epitheta, quae sanctam Deorum praesentiam indicant, ut *fons sacer* in Ovid. Am. lib. III, 1. vs 3. Art. am. lib. III, vs. 687. Virgil. Aen. lib. VII, vs 83. *aqua sacra* Horat. lib. I, od. 1, vs. 22. explicanda sunt. Et quoniam, quidquid fontibus accidit, idem quoque numina ipsa pati dicebantur, ideo facillime h. l., cur, quod proprie ad fontem pertineat, numini ipsius tribuatur, diiudicari potest. Sanissimum igitur *praestantius* est. Sicuti omnino illam poetarum consuetudinem animadvertas, qua numinis et rei, cui illud praeest, proprietates saepenumero inter se commiscentur. Sic Horatius lib. I, od. 7, vs. 12 *resonantis*, quod fonti proprium est, transfert in Albuneam, cf. Propert. lib. II, el. 23, vs. 49.

Horat. lib. III, od. 13, vs. 15. Epod. XVI, vs. 48. *montibus altis levis crepante lympha desilit pede.* Sat. II, 2, vs. 124. *Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto.*

SATIRA III, vs. 30 sqq.

maneant, qui nigrum in candida vertunt,
Quis facile est aedem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
Et praebere caput domina venale sub hasta.

Omnia Rupertus hic miscet et perturbat, sicuti omnes fere alii quoque verba male intellexerunt. Loquitur Iuvenalis non de aedificatione, non de vectigalibus, quod tam turpe non esset, sed de hominibus vilissimae conditionis, qui tractandis rebus sordidissimis divitias sibi parare non erubescant (quis facile est), scilicet purgatione conducta aedis, fluminum, portus, cloacae, Ipsi quidem non purgant, sed ex aliorum opera lucrantur. *Conducere* enim saepe ii dicuntur, qui pretio aliquid faciendum suscipiunt. Cic. de divinatione lib. II, c. 21. *Qui columnam illam de Cotta et de Torquato conduxerat faciendam.* Ulpianus in l. si quis domum D. locat. *Si quis vitulos pascendos, vel sarciendum quid, poliendumve conduxit, culpam eum praestare debere. Purgandos* autem, vel simile quid ex sequenti *siccandam* ad portus, flumina, aedem sumatur necesse est. De verbis *portandum cadaver ad busta*, vide ea, quae Kirchmannus de funer. lib. I, c. 9. p. 70, et Quensted. de sepultur. vett. c. 5. p. 74. disputarunt.

In sequentibus *Et praebere caput domina venale sub hasta* ea valet explicatio, qua praecones, contemtum hominum genus, venales servos, auctione constituta, plurimum licitantibus addicentes intelliguntur. Nec honorificentius iidem Satir. VII, vs. 10. et Mart. lib. V, epigr. 57. commemorantur, quamquam eorum munus illis temporibus quaestuosissimum fuit. *Hasta* idcirco *domina* appellatur, quia hoc signo posito is, qui bona emeret, auctoritatem, seu ius dominii in ea sibi comparavit. vid. Graevium et Hotomannum ad Cicer. pro Quintio c. 5 et 15. Et quod ad verba *caput venale* attinet, ea nihil aliud indicare, quam mancipia, vel id demonstrat, quod venales, nude ac simpliciter positi, servi novitii sunt, ad venumdandum traditi. De qua re praecipue Quinctilianus l. VIII, c. 2. videndus est: *Item quod commune est et aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur, ut urbem, Romam accipimus, et venales, novitios, et Corinthia, aera: cum sint urbes aliae quoque, et venalia multa, et tam aurum et argentum, quam aes Corinthium.*

Vs. 38. *foricae* non sunt latrinae, quas conducunt, ut Achaintrius vult, purgandi causa, sed significant ipsum locum, ubi praetereuntes ventrem deonerant, earumque possessoribus vectigal aliquod solvunt. Forire est deonerare ventrem. Nam de purgandis cloacis antea agitur. Sententia enim haec est: Perversa sunt nostra tempora: priori aevo munera edebantur, ut gratiam populi captarent, et viam sibi munirent ad honores. Nunc quidem non intermissa sunt munera,

sed eduntur a vilissimis hominibus, non ut ad summos honores evehantur, sed ut sordidissimas res peragere possint. Hic igitur annui latrinarum domini foricarii qui sunt, antea purgatores nominantur. Vide tamen Cramerum ad h. v.

SATIRA III, vs. 56 sq.

Non tibi, inquit, divitiae, quamvis amplissimae, tanti sint,

Ut somno careas ponendaque praemia sumas
Tristis et a magno semper timearis amico.

Pro incerta et ambigua verbi *ponere* significatione etiam diversae eius h. l. prodierunt interpretationes. Heineckius praemia aliis ad scelus aliquod perficiendum proponenda explicat, alii ab amico proponenda, constituenda, promittenda, alii rursus praemia recusanda, detestanda, non sumenda intellexerunt. Haec ultima etsi antecedentibus, in quibus languidi et ridiculi aliquid inest, longe meliora sunt, et ipsa verborum *ponere* et *sumere* oppositione, quae etiam apud Horat. Od. lib. III, od. 2, vs. 19. *Nec sumit, aut ponit secures Arbitrio popularis aurae* invenitur, defenduntur, mihi tamen Britannici et Achaintrii explicatio huic loco et accommodatior et fortior visa est. Sententiam ita constituo: noli praemia sumere, quae serius ociusve reddere et relinquere cogeris, quaeque insuper tibi animi sollicitudinem et metum afferent; adeoque insidias et ipsam mortem parabunt. Non raro enim pessimis temporibus fieri solet, ut, qui praemiis in sceleris societatem adsciti sunt, ea non modo amit-

tant, verum etiam, ut id effici queat, vel insidiis structis, vel accusatione aliqua instituta, vitam perdant.

SATIRA III, vs 62—66.

Non solum Graeca natione, dicit poeta, urbs contaminata est, sed etiam barbaris gentibus, quae peregrinam luxuriam, psaltrias, sambucistriasque, et convivialia ludionum oblectamenta, et

ad Circum iussas prostare puellas,

invexerunt. Puellae, quae h. l. commemorantur, sunt Syriacae illae Ambubaiae, non scenica prostibula, ut alii volunt, nec Summoenianae, sub quibus omnes omnino meretrices in casis ad urbis moenia habitantes notantur. Ut vero illae intelligantur, et tota h. l. descriptio efficit, et aliorum affirmat comparatio. Primum Syrus Orontes, et quae Romam detulit, gentilia tympana, et chordae obliquae laudantur, quorum organorum peritiam huius generis mulieres accuratam habebant; deinde vs. 66 Romani per ironiam ad barbaram lupam picta mitra redimitam demandantur, ubi epitheton *barbara* non ad alias, nisi ad Syriacas itidem referendum est. De *lupa* vide Gataker. Advers. p. 236; eundem de mitra p. 207. Casp. Barthium in Advers. lib. XXXIII, c. 20 et ad Stat. Theb. lib. IX, vs 794, p. 1087. Servium ad Aen. lib. IV, vs. 216. Denique compares ad haec illustranda carmen in Priap. XXVII.

Deliciae populi, magno notissima Circo
Quintia, vibratas docta movere nates:
Cymbala cum crotalis, pruriginis arma, Priapo
Ponit et adducta tympana pulsa manu.

Virgil. in Copa vs 1 sq.

Copa Syrisca, caput Graia redimita mitella,
Crispinum sub crotalo docta movere latus.

et Sueton. in vita Neron. c. 27. *Coenitabat nonnumquam et in publico, Naumachia praeclusa, vel Martio Campo, vel Circo maximo, inter scortorum totius urbis ambubaiarumque ministeria.* Sed ex illo praecipue Priapeio carmine apparet, Syrarum greges ad Circum — Circus ubi absolute ponitur, intellige Circum maximum — cymbala cum crotalis pulsantes prostitisse.

Addam huic circumscriptioni alias quasdam ex Iuvenale depromptas, in quibus tamen nullus interpretum error. Sat. IX, vs. 47. invenimus *dignum cyatho*, h. e. Ganymedem, qui prius pincerna, nunc simul ut Iovis amasius notatur. Hinc etiam Romani ditiores servis usi sunt, qui tam poculis ministrandis, quam turpi amori servirent. Martialis lib. IX, epigr. 22.

Aestuet ut nostro madidus conviva ministro,
Quem permutatum nec Ganymede velim.

et eiusdem lib. epigr. 26.

Et pruris Domini cum Ganymede tui.

cf. lib. V, epigr. 56. et lib. VIII, epigr. 46, vs. 5. Vid. Rupert. ad Iuven. Sat. V, vs. 59. Martial. lib. IX, epigr. 8., vs. 7. pocillatorem illum sic describit: *Et qui pocula temperat Tonanti.* Eodem modo Sat. IX, vs. 62. ex verbis *cymbala pulsantis* Gallus cognoscitur, quia Cybeles sacerdotibus *cymbala collidere* proprium fuit. cf. Iuven. Sat. VIII, vs. 176. Lucret. lib. II, vs. 618. vid. Apulei. Metam. VIII, p. 212. I, 28.

Elm., et quae congessit Spanhem. ad Callim. H. in Dian. 247. p. 350. Ern. et Dominicus Georgius in interpretatione veteris monumenti cum effigie Archigalli. Romae 1737. pag. 34. — Sat. XII, vs. 4. verba *pugnanti Gorgone Maura* Palladem indicant, medio in clypeo Gorgonis caput gestantem. Apollodorus pag. 100. ed. Heyn. *Ἀθηνᾶ δὲ ἐν μέσῃ τῇ ἀσπίδι τῆς Γοργόνος τὴν κεφαλὴν ἀνέθηκε.* Alia in Priapeio carmine Minervae descriptio est:

Non soror hoc habitat Phoebi, non Vesta sacello,
Nec quae de patrio vertice nata dea est.

Iuven. Sat. II, 118. *Cornicini, sive hic recto cantaverat aere* i. e. tibicini; cf. Ovid. Met. I, 98. quem interpretes citarunt.

Etiam pronomina nonnumquam ponuntur, non additis nominibus, sed ex contextu et verborum ambage faeillime intelligendis. Sat. XIV, vs. 284. *Ille sororis In manibus vultu Eumenidum terretur*, i. e. Orestes, et vs. 286. Aiacis mentio fit. Sat. X, vs. 326. *Erubuit nempe haec, ceu fastidita, repulsa*, ubi Ruperto pronomen *haec*, qua Phaedram significari dicunt, durissimum videtur. Sed errat vir doctus, nam nulla alia, nisi Phaedra, ex tota descriptione intelligi potest, praesertim quum, antea Hippolyto et Bellerophonte commemoratis, Stenoboea non minus, quam Cressa excanduisse dicatur. Neque necessaria idcirco Heineckii explicatio est, qui ex sequentibus *Cressam* assumi vult. Conferas etiam Sat. X, vs. 257, et I, vs. 10. ubi adiectivum *alius* nude ponitur: at illic Laertem, hic Iasonem indicari cetera docent.

SATIRA III, vs. 72.

Viscera magnarum domuum dominique futuri.

Viscera interpretes vilissimos Graecos esse censent, qui habitatores domuum ditissimarum facti tanquam viscera omnia absorbeant. Sic Grangaeus, quem plures sequuti sunt. Sed absurda haec dicit Heineckius, et recte quidem; nam de visceribus, quae dicuntur interiora, pulmo, iecur, cor, praecordia, absorbere vix potest adhiberi. Equidem prius *viscera magnarum domuum* per appositionem vocabulorum *Esquilias dictumque a vimine collem* addita existimabam: qua coniunctione accuratius indicetur, cur Graeculi illi familiaritatem cum familiis illic habitantibus contrahere studuerint, scilicet ut facultates earum artibus suis diriperent, et domini fierent futuri. Et quid impedit, quominus sub voce viscera partes domuum interiores, h. e. opes et facultates intelligamus? Dicunt *viscera aerarii*, ubi sane ipsum additamentum illam vim demonstrat; dicunt etiam *viscera montis* de quacumque re in ima terra latente, Ovid. Metam. lib. I, vs. 138. *itum est in viscera terrae.* Senec. Octav. vs. 416. *Sed in parentis viscera intravit suae Deterior aetas*, h. e. opes altissime reconditas. Vide Burman. ad Antholog. lat. lib. III, p. 474. Idem de facultatibus, sed simili verbo non addito, apud Cic. ad Q. Frat. lib. I, ep. 3. occurrit.

Nunc vero in Heineckii sententiam eo lubentius declino, quo aptiorem eam moribus et ingenio Graeculorum putem. *Viscera* enim, ut σπλάγχνα, adhi-

bentur tum apud poetas, tum apud prosae orationis scriptores de liberis, amicis, et quicumque nobis tam cari sunt, ut viscera nostra. Curtius l. IV, c. 14. *Viscera mea eripite ex vinculis*, i. e. coniugem et liberos. Quinctil. Prooem. lib. VI. *super immaturum funus consumtis viscera mea flammis inlicere.* Stat. Silv. lib. V, silv. 5, vs. 9. *ecce lacertis Viscera nostra tenens.* Ovid. Metam. lib. V, vs. 18. lib. VIII, vs. 78. Hinc quoque Statius Theb. lib. VII, vs. 521. verbo *viscera* pro summa caritate utitur: *Sua credite matri viscera;* et, quod non praetereundum est, alloquitur Marius Victor dilectissimum hominem, *mea viscera, Salmon.* et alter Victor Massiliensis: *mea viscera, Thesbon,* uterque iam a Casp. Barthio ad Theb. lib. VII, vs. 522, et silv. lib. V, Silv. 5, vs. 9. allatus. De Graecis dictum significat fallaces illos et leves, sese in familiaritatem divitum Romanorum insinuantes, ut tamquam liberi, certe opes eorum quocumque modo, falsis testamentis, aut nimia adulatione raperent, quales Cicer. lib. I, epist. I, ad Q. Frat. describit.

SATIRA III, vs. 74.

sermo

Promtus et Isaeo torrentior.

Isaeo adiectivum esse dicit Rupertus, deceptus eo, quod hanc breviloquentiam, Graecis non minus usurpatam, ignoraret. *Isaeo* torrentior i. e. sermone Isaei, ut apud Gellium Noctt. Att. lib. I, c. 15. *verba illius multa et ἄκοσμα strepentium sine modo graculorum similia esse dicit.* Iustin. lib. IV, c. 3. *ausi facinus nulli ty-*

ranno comparandum. lib. II, c. 14. *Atheniensium virtus ceteris praelata.* vid. Burmann. ad Petron. Satiric. c. 56. Ex Graecis vid. Epigr. adesp. 468.

Ἴσα ποιεῖν καὶ ἐγὼ Παλλαδίῳ δύναμαι.

h. e. ἴσα τοῖς Παλλαδίου ποιήμασιν. Epigr. adesp. 523.

Οἱ δὲ τριηκόσιοι ταύτης στίχοι ἴσοι Ὁμήρῳ

h. e. ἴσοι τοῖς τοῦ Ὁμήρου ποιήμασιν. Vid. Schaeferum in melett. critt. p. 57 sq. ad Plin. Epistt. p. 40. a. Ceterum quum duo eiusdem nominis praestantissimi rhetores fuerint, unus Demosthenis, alter Hadriani temporibus, non est cum Ruperto in ambiguo relinquendum, uter eorum h. l. intelligendus sit. Posterior sine dubio, utpote Iuvenalis aetate notissimus, cuius quoque laudibus Plinii epistola 8, lib. II. plenissima est: *Magna Isaeum fama praecesserat, maior inventus est. Summa est facultas, copia, ubertas; dicit semper ex tempore, sed tamquam diu scripserit.*

SATIRA III, vs. 98 sq.

Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Haemo.
Natio comoeda est.

Plura ab interpretibus et falso explicata sunt hoc loco, et temere mutata. Particula *tamen* offensioni fuit plurimis: quam ob rem *nec tantum* coniecit Schraderus, uno Codice adstipulante, Heineckius vero nihil mutans *tamen* per *tandem* explicavit. At particula ista etiam hic vim propriam retinet. Sententiarum enim nexus hic est: An melior histrio umquam invenitur, quam Graeculus est, quum etc.? Minime.

Et quamquam histriones Antiochus, Stratocles, Demetrius et Haemus in arte fallendi (h. e. illiberalissima) plurimum pollent, tamen non minus in ea excellunt reliqui Graeci. Nam tota Graecorum natio comoeda est. enunciatum, quod cum particula *quamquam*, *etsi*, incipiendum erat, omissum esse iam Lubinus viderat, nec recte omitti potest, ubi id, quod supplandum est, res tota oratione facillime apparet. cf. Sat. III, vs. 243. *sunt tamen venient.* Gronov. ad Liv. lib. XXIII, c. 19.

Addam hic statim, quae sequuntur verba vs. 100.

Rides, maiore cachinno
Concutitur.

ubi nescio, cur Rupertus auctoritate Wakefieldi ad Lucret. lib. I, vs. 918. et lib. V, vs. 705. scripturam unius tantum codicis *melliore* in textum receperit, quae quum adulatorum mores, qui omnia adaugere solent, festive pingantur, vulgatae postponenda necesse est. Eadem coniunctio invenitur Sat. XI, vs. 2.

Quid enim maiore cachinno
Excipitur vulgi, quam pluper Apicius?

SATIRA III, vs. 106 sqq.

Graecus impudentissimus adulator est, vel res obscenas

laudare paratus,
Si bene ructavit, si rectum minxit amicus;
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.

De calice aureo non possunt intelligi haec verba, quia mores Graecorum ridicule describuntur, quamquam

maxima interpretum pars ad hanc vocabuli *trulla* significationem inclinat: unde ineptissimas h. v. explicationes promanasse non mireris. Unius tantum perversitatem ostendam, eorum nempe, qui his verbis de cottabi lusu agi existimant. Qui vero ubi recte instituebatur, cum arte fiebat; et artem laudare, et admirari cur non licuisset Graeco sine vituperatione? Quae tetra deinde coniunctio cottabi cum rictu et minctione? Eadem turpitudo in ceteras cadit interpretationes, quibus *trulla* vas potandi est. Convenit quidem huic significationi dictio *invertere fundum*, i. e. exhaurire calicem, ut apud Horat. Sat. II, 8, vs. 39. *Invertunt Allifanis vinaria tota.* Virgil. Aen. lib. IX, vs. 165. *Fusique per herbam indulgent vino et vertunt crateras alienos.* Horat. Od. lib. III, od. 29, vs 3. *Non ante verso lene merum cado.* Sed quia necessarium est, quod ex ipso verborum ordine, et compositione luculenter apparet, ut excrescat oratio, quod vero non fieret, si de calice *trullam* intelligeremus, trulla est lasanum, vas aureum, in quo ventris onus deponitur, qualia ditiores et delicatiores Romani seriori tempore habebant. vid. Plin. H. Nat. lib 34, c. 2. Martial. lib. I, epigr. 38. Lamprid. in Heliog. c. 32. *Onus ventris auro excepit: in myrrhinis et onychinis minxit.*" Nonnulli, praeeunte scholiasta, cuius nota est: *Si pepederit*: eodem modo versum, sed non omni ex parte, si quidem verba *inverso fundo* non ad trullam, ad quam unice pertinent, referunt, recte interpretantur. Vid. Achaintr. et Ruperti comment. Poeta Graecorum adulationes ὑπερβολικῶς irridet dicto, illos vehemen-

ter naturae eruptiones divitum amicorum laudare, ut sententia haec sit: ad laudandum paratus est, si tanto ventris onere lasanum implet, ut fundus eius invertatur, et sonitus et murmur ex illo reddatur.

SATIRA III, vs. 186 sqq.

Nihil Romae fieri gratis antea dictum est: cuius rei argumento patronorum in clientes superbia, horumque ad gratiam illorum sibi tuendam firmandamque munera servis amasiis data afferuntur:

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.
Plena domus libis venalibus. Accipe et istud
Fermentum tibi habe: praestare tributa clientes
Cogimur et cultis augere peculia servis.

Altera lectio, quae vs. 187. in libris nonnullis invenitur, *libis genialibus*, quum languidissima h. l. sit, librariorum potius ingenio tribuenda est, quam alteri *venalibus* praeferenda. Eius originem quaeras in versu antecedente, ubi domini amatorum suorum barbam et crinem detondendum curasse dicuntur: quo die festo, tamquam altero natali, clientes liba aliaque mittere cogebantur. Vid. Lips. ad Tacit. Ann. lib. XIV, c. 15. Alexandr. Neapolitan. Genial. dier. lib. V, c. 18. Rader. ad Martial. lib. III, epigr. 6. Optimum ac verissimum est *venalibus*, utpote ab ipso verborum contextu defensum. Antea dixerat poeta: *omnia Romae cum pretio*, hic clientes sub persona poetae queruntur, quod festis diebus tributa i. e. liba praestare debeant, et quidem venalia, quae scilicet servi a dominis in deliciis habiti vendant, ut ipsis inde peculium augeatur.

Haec, inquit, maxima est indignandi causa, quod vel ipsos servos donare cogamur.

SATIRA III, vs. 194 sqq.

Nam sic labentibus obstat
Villicus et veteris rimae contexit hiatum,
Securus pendente iubet dormire ruina.

Ruperfus haeret in verborum coniunctione *obstat* — et *contexit* — *iubet*, dicens se mirari, quod ex Codd. Parisin. nihil ad h. l. notatum sit ab Achaintrio. Sed id ipsum eum admonere debebat, ne corrigeret, quae corrigenda non essent. Assentiens enim in novissima editione Heineckio, Codicum quorundam auctoritate decepto, *quum texit* scripsit. Utrumque iam probe refutavit Wunderlichius ad Tibull. lib. I, 6, vs. 37. Particula *si* in enunciatione media omissa est ad eandem rationem, qua nostri poetae pariter, ac prosae orationis scriptores utuntur. Conferatur Sat. VI, vss. 330 et 332, ubi tamen in Ms. Isaaci Vossii ante *abstuleris* insertam animadvertis. *Sic* vs. 194 habet, ut Graecorum οὕτως, significationem *tam negligenter*. cf. Sat. XIV, vs. 92. Cicer. ad Attic. lib. I, ep. I, *ad summam non posse isthaec sic abire, i. e. tam leviter*. Et villicus, qui dicitur, est praefectus urbi, cf. Sat. IV, vs. 77., quod nimirum de quovis procuratore et dispensatore usurparum. Priapeum c. 81. *Villicus aerari*; in antiquis lapidibus apud Grutерum *villicus alimentorum*, *villicus a plumbo*. Vid. Salmasium ad Ael. Lamprid. p. 201.

SATIRA III, vs. 219.

Hic libros dabit et forulos mediamque Minervam.

Quid sit *media Minerva*, quaerunt interpretes, et Rupertus, commemorata aliorum explicatione, suam addit, sed dubia et vacillante mente. Verum hic nullus dubitationi locus. *Media Minerva* eadem est, quae Hermathene, in gymnasiis et bibliothecis collocata, non imago diuturnitate temporis fracta et imminuta: nam dives non donat mutilam Minervam. Vid. Cicer. ad Attic. lib. I, ep. I. *Hermathena tua valde me delectat, et posita ita belle est, ut totum gymnasium ἡλίου ἀνάθημα esse videatur. ep. 4. Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est, et ornamentum Academiae proprium meae, quod et Hermes commune omnium, et Minerva singulare est insigne eius gymnasii.* Conferas etiam, quos Gesnerus in thesaur. s. h. v. laudavit, Turneb. Adv. lib. 8, 24. Manut. ad Cic. Att. lib. I, ep. 4. Casaubon. ad Cic. Att. lib. I, 1, p. 23.

SATIRA III, vs. 236—38.

Rhedarum transitus arcto
Vicorum inflexu et stantis convicia mandrae
Eripient somnum Druso vitulisque marinis.

Prorsus vanae et satirici ingenio contrariae sunt emendationes virorum doctorum, a Ruperto in Excursu ad h. l. propositae. Nonnulli coniecerunt, ut quidem Ruperto placet, ingeniose, *somnum ursae*, quia ursi per hiemem in lustris delitescentes somno indulgeant. Alii, quod non deterius illorum conamine est, Grae-

vius et H. Valesius dederunt *vetulisque maritis*. Quasi grandaevis hominibus somnolentia sit. Inter quos prudentior Grangaeus est, qui nihil mutans poetam ad nomen Italorem, qui vituli dicerentur, alludere contendit. Vide de hac re Gesneri thesaur. s. h. v. Attamen multo simplicius verba explicanda sunt. Aut vituli marini h. l. omnes ii dicuntur, qui phocarum instar alto somno sopiti iacent, quemadmodum Drusus pro quovis somnolento accipiendus est, vide de Drusi gravi somno Sueton. Claud. c. 5. et 8. et de phocarum Plin. hist. Nat. lib. IX, c. 13, aut, si mavis, ipsa animalia intelligas, in qua quidem phocarum cum Druso Caesare ob somnolentiam coniunctione magna vis satirica inest. Idcirco nec Iacobsii correctione opus est *vitulisve*; quod si necessarium esset, idem particula *que* exprimeret. cf. Iuven. Sat. XIII, vs. 68. *examenque apium*. Sat. VI, vs. 13. *qui rupto robore nati compositique luto*. Vid. Ernest. ad Tacit. Ann. lib. XIII, c. 25.

Vs. 237. lectionem *vicorum inflexu* praefero, quia hocce vocabulum altero rarius sine dubio eam ob causam reiectum est, ut praepositio *in* adesset, cuius tamen omissio in iis verbis, quibus loci notio subest, apud Iuvenalem aliosque frequentissima. Vid. Wunderlich. ad Tibull. lib. I, eleg. 3, vs. 28. Iuven. I, vs. 53. *medio quadrivio ceras implere*. vs. 95. *sportula primo limine parva sedet*. Sat. III, vs. 173. *herboso theatro*. Sat. IV, vs. 112. *marmorea meditatus proelia villa*. Sat. V, vs. 138. *nullus tibi parvulus aula Luserit Aeneas*. Sat. XI, vs. 78. *parvo horto*.

Sat. VII, vs. 126. *ipse feroce bellatore sedens.* Sat. VIII, vs. 63. *si rara iugo Victoria sedit.* Sat. XIII, vs. 69. *consederit culmine delubri.* Sat. VIII, vs. 58. *et exsultat rauco Victoria Circo.* Sat. VI, vs. 204. *quum lance beata Dacicus et scripto radiat Germanicus auro.* de quibus verbis, ineptaque eorum mutatione vid. Petr. Pauli Iusti Specimen Obss. critt. Schraderi Emendatt. adiectum. Sat. VIII, vs. 241.

Quantum non Leucade, quantum
Thessaliae campis Octavius abstulit udo
Caedibus assiduis gladio.

ubi quoque omissio negationis ex priore membro supplendae memorabilis est. cf. Sat. III, vs. 309. *Qua fornace graves, qua non incude catenae?* Martial. lib. XI, ep. 82. *viribus hic operi non est, hic (non) utilis annis.* Senec. consolat. ad Helv. Ep. V, 11. *dum sua compositus nondum bene concutit arma miles* pr. dum sua nondum compositus miles nondum b. c. arma. Vide Ioan. Friedr. Wagner in Seebod. crit. promptuar. ann. II, fasc, II, p. 146. Wakefield. ad Philoct. vs. 761. Erf. Saepe apud Graecos, ut Pindar. Pyth. X, vs. 64. *νόσος δ'οὔτε γῆρας*, pr. *οὔτε νόσος, οὔτε γῆρας.* Aeschyl. Agam. vs. 540. *Πάρις γὰρ, οὔτε συντελὴς πόλις.* Choeph. vs. 292. Hom. Od. lib. XVII, vs. 115, lib. XVIII, vs. 407. v. Hermann. ad Aiac. vs. 239. 616. Schaef, ad Lambert. Bos. p. 777.

Sed saepenumero factum est, ut librarii, metro permittente, praepositionem inferrent. Sat. X, vs. 217. *praeterea minimus gelido iam corpore sanguis Febre*

calet sola: ubi in libris quibusdam *in corpore* invenitur, sed rectius excluditur praepositio. Possunt quoque haec verba ablativi absoluti esse, ut Sat. I, vs. 5.

aut, summi plena iam margine libri,
Scriptus et in tergo necdum finitus Orestes.

Particula *iam*, ut haec obiter moneam, cum *gelido* stricte coniungenda est. Iuven. Satir. VIII, vs. 153. *amici iam senis*. Sat. III, vs. 206. *Iamque vetus cista*. Sat. IV, vs. 138. Tibull. I, 4, vs. 58. Wunderlich. ad libr. I, eleg. 4, vs. 33. Sat. IV, vs. 54. *pulcrumque est aequore toto*, ubi Cod. unus *in aequore*, alii *ex aequore* habent. Sat. II, vs. 106. *Bebriaci* (*in*) *campo*. Sat. VI, vs. 291. *Stantes Collina* (*in*) *turre mariti*. Sat. X, vs. 36 sqq.

si vidisset praetorem curribus altis
Exstantem et medio sublimen in pulvere Circi
In tunica Iovis

ubi vs. 36 plures Codd. *in curribus* habent, omnes *in pulvere* praeter Thuaneum, cuius auctoritate Boissonadius ad Herodiani partitiones p. 297, cui praeterea *in pulvere*, *in tunica* valde displicet, permotus praepositionem *in* ante *pulvere* tollendam censet. Huc vero non trahendus est locus Sat. XIV, vs. 86 sq. ubi ex posteriore ad priora membra praepositionem referas. Simile exemplum habes ap. Stat. in Silv. III, vs. 50.

Quidquid et argento primum, vel in aere Myronis
Lusit.

cf. Bentl. ad Horat. Od. III, 25, vs. 3. Eadem ratio est, quam in Graecis observarunt Lobeckius ad So-

phocl. Aiac. p. 283. Erfurd. ad Antigon. vs 867. Herman. ad Viger. p. 809. Valken. in Callim. El. p. 178, 59. cf. Aristoph. Lys. 58. *οὐδὲ παράλων — οὐδ' ἐκ Σαλαμῖνος.* Eurip. Iphig. T. vs. 393. *διατέμνει βωμοὺς, καὶ περὶ κίονας.*

Ex hac praepositionis *in* ibi plerumque, ubi loci significatio invenitur, omittendae consuetudine, ea derivanda est licentia, qua verbum *ponere* nudo ablativo collocatum est. Sat. X, vs. 156. *media pono Subura.* Sat. XI, vs. 79. *brevibus ponebas focis.* vs. 109. *Ponebant igitur Tusci farrata catino.* Sat. XIV, vs. 82. *hinc praeda cubili Ponitur.* cf. Lucan. Phars. lib. IX, vs. 862. *medio posuisti limite mortes.* lib. VIII, vs. 348. *medio posuit Deus Omnia campo.* lib. VIII, vs. 756. *Exigua trepidus posuit scrobe.*

Sed revertimur ad Iuvenalis locum, ubi si non explicanda, certe tamen commemoranda quaedam restant. Sunt verba *stantis convicia mandrae.* Forcellini in lexic. s. v. *mandra* haec verba sic interpretatur: equorum aut mulorum non progredientium, quo ideo aurigae et muliones convicio et clamoribus hortantur.“ Equos vero sub *mandra* non intellexerim. Scholiastes ad Theocriti idyll. IV, vs. 61. arctiorem vocabuli significationem affert: *μάνδραν τὴν τῶν προβάτων δρκάμην.* Pollux in Onomastico lib. IX, c. 4, p. 16, inter *σταθμοὺς, αἰπόλια, κοίμησα, σηκοὺς, δυφετοὺς, δυφοὺς, συβόσια* etiam *μάνδρας* nominat, sed extenditur eius significatio a Perotto, cuius verba sunt: *Ovium, boum, mulorum septa, claustraque mandrae appellantur.* Hoc loco ut mulorum stabula et per

metonymiam loci pro locato, ut Martinus in lexic. ait, intelligantur, nos adducit Martial. l. V, epigr. 23. *Vixque datur longas mulorum vincere mandras.* i. e. longum numerum seu multitudinem iumentorum, et Senec. lib. III de ira, c. 6. *Quemadmodum per frequentia urbis loca properanti in mulas incursitandum est et alicubi labi necesse est, alicubi retineri, alicubi respergi: ita in hoc vitae actu dissipato et vago multa impedimenta multaeque querelae incidunt.*" *Stantis* igitur *mandrae convicia* sunt ea, quae agitatores in stantem, cunctantem, non progredientem mandram h. e. longam mulorum seriem iaciunt. Vid. Rader. ad Martial. lib. I. Gesnerus in thesaur. verba ita cepit: *Hoc vult poeta*, inquit, *tot iumenta, tot animalia onerata, vel vacua concurrunt, ut plateae et vici mandrae fiant, in quibus frequentia etiam cedere iubentium et detrectantium convicia audiuntur.*

SATIRA III, vs. 231.

Memorabile hic Rupertus audaciae, qua vel sanissima tentantur, nobis dedit exemplum. Poeta pauperi Romae locum dicit non esse diutius morandi: in oppidis Latii optimas domus eodem pretio parari, quo Romae tenebricosae conducantur, additque, magnum quid esse

Unius sese dominum fecisse lacertae

Hoc versu vox *lacertae* Rupertum vehementer vexavit, et virorum doctorum coniecturis, quarum nulla eius assensum tulit, enumeratis ipse addidit suam *tabernae* i. e. *casae*, sed ideo non probandam, quia

poeta de hortulo antea locutus est. Atque vel optima quaeque de hoc loco sententia, sed a scholiastae, Farnabii, Grangaei aliorumque, qui illos sequuti sunt, interpretatione diversa, ei displicere debebat. His verbis breviloquentia, cuius Iuvenalis ubique studiosissimum sese ostendit, et dictio hyperbolica inest, quae significat: magni pretii est, quocumque te receperis, hortum possidere quamvis exiguum, ut una tantum perrepat ipsum lacerta. Compares Martialem, aliosque scriptores, qui etsi non eodem, tamen simili modo loci cuiusdam parvitatem describunt. Martial. lib. XI, ep. 18, ex quo non duo, ut ab interpretibus factum est, sed plures adscribendi sunt versus, ut vss. 3—6.

Rus hoc dicere, rus potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianae,
Argutae tegit ala quod cicadae,
Quod formica die comedit uno.

Vss. 10—11.

In quo nec cucumis iacere rectus,
Nec serpens habitare tota possit.

Vss. 17—20.

Fines mus populatur et colono
Tamquam sus Calydonius timetur,
Et sublata volantis ungue Procnes,
In nido seges est hirundinino.

Ad quae verba Raderus epigr. Lucillii LXX Iacobsii Antholog. tom. II, p. 331. attulit, ubi poeta Menophanis agrum tam pavum fuisse dicit, ut se suspendere in illo fame consumptus non posset, nec mortuus se-

peliri. Ad tenuitatem hominis exprimendam dicit poeta in Anthol. lat. tom. I, p. 608.

Corpore par querulis es, par clamore cicadis.

Martial. lib. III, epigr. 93. *pectus cicadae.* Praeterea Cicero, vel ut aliis placet, Laurea libertus Anthol. lat. tom III, 56, p. 493. hoc ioculare fudit in fundum epigramma:

Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda,
Ni tamen exciderit, qua cava funda patet.
Extractam puteo situlam quum ponit in horto,
Ulterius standi non habet ille locum.

Quid, quod Iuvenalis ipse hanc dictionem Sat. IX, vs. 55. tuetur, ubi, quemadmodum hic loci exiguitatem, ita contrario modo, nec tamen dissimili, latifundiorum amplitudinem describit:

Dic, passer, cui tot montes, tot praedia servas
Appula, tot milvos intra tua pascua lassos?

i. e. quae tam immensa sunt, ut milvi fatigentur ea transvolantes. Vide schol. ad h. l. Pers. Sat. IV, vs. 25.

Nostin' Ventidi praedia? cuius?
Dives, arat Guribus quantum non milvus oberret.

ad quae schol. vetus dicit: *Secundum proverbium: quantum milvi volant.* cf. Petron. Satir. c. 37. Proverbialis igitur dictio est, in homines supra modum locupletes usurpata, sicuti illud in minimam possessionem valet.

SATIRA III, vs. 296.

Ede, ubi consistas, in qua te quaero proseucha?

Non opus est, ut repetam, quae a viris doctis de proseucha ad h. l. disputata sunt: id tantum monere liceat, nullam mihi neque Henninii, neque Turnebi, neque Mansonis satis aptam videri interpretationem. Magis placet Lubini et Pratei, quorum sententia non fanum Iudaeorum, sed omnino significatur locus, aliquis, ubi mendici stipem petebant, et victitabant. Et recte quidem: nam in ipso verbo nihil est, quod istam explicationem non admittat, siquidem ut προσεύχη proprie preces, obsecrationem notans de loco sacro, ubi Iudaei oraturi conveniebant, vulgo intelligitur, ita quoque in mendicorum stationem, qui a praetereuntibus stipem rogabant, bene adhiberi potest. Quae verbi vis insuper firmatur vicinitate vocis *consistas* in conventum, stationem, commorationem hominum in aliquo loco vel colloquendi, vel mendicandi, vel alius rei causa factam usurpatae. vid. Ducker. ad Liv. Ep. LXV. Audiamus etiam Perottum in Cornu Cop. p. 740. ab hac sententia non abhorrentem, sed ab interpretibus ad h. l. neglectum: *A peto fit petitor, qui aliquid petit, ponitur que frequenter pro mendico, et stipem ostiatim petente, qui et postulator et rogator dicitur. Locus vero, in quem convenire postulatores huiusmodi solent, ut erant pontes Romae, et clivus Aricinus, propter confluentes ad templum Dianae proseucha dicebatur, nam graece προσεύχη deprecationem sive obsecrationem significat.* Omnis difficultas, ac dubitatio evanesceret,

si plura vocis ambiguae aliis in scriptoribus invenirentur exempla: nam quod ea in Gruteri inscriptione a Forcellino s. h. v. allata occurrit, ambiguitas non removetur, quoniam illa ipsa certa adhuc interpretatione indiget. Maioris sunt ponderis versus, quamquam recentioris poetae, at non dubitata significatione, Andreae Fulvii in antiquar. urbis libr. I, quos Osanni vigilantia detexit:

Stat lare sub patrio, nec notus Alexius illi,
Pauper, inops, algens modica, vilique proseuca:

Sub gradibus latitans: ubi plurima passus iniqua est. Poteris etiam novam si ingredi velis interpretandi viam, sub proseucha locum intelligere a vilissimis hominibus ad convivia ibi cum Iudaeis habenda electum. Iudaei enim quum illo tempore rerum sacrarum obtentu cum promiscua multitudine in locis religiosis saepenumero convenirent, ibique vino indulgentes omnino liberiorem et contrariam patriis ritibus vitam agerent, proseucharum, quae secundum Philonem de vita Mosis III, p. 685. *διδασκάλεια φρονήσεως καὶ ἀνδρίας καὶ σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης, εὐσεβείας τε καὶ ὁσιότητος καὶ συμπάσης ἀρετῆς* erant, tantopere diminuta est auctoritas, ut eae non amplius sacrorum locorum, sed tabernarum potius speciem habere viderentur. Idcirco queritur Philo plurimis locis: queritur de Alexandrinis Iudaeis libr. de legatione ad Caium p. 1036. *τὸ μὲν γὰρ πρῶτον ἀπέστειλε (ὁ Σεβαστὸς) τοῖς Ἰουδαίοις μόνοις εἰς τὰ συναγώγια συνέρχεσθαι. μὴ γὰρ εἶναι ταῦτα σύνοδους ἐκ μέθης καὶ παροινίας ἐπὶ συστάσει ὡς λυμαίνεσθαι τὰ τῶν εἰρήνης, ἀλλὰ δι-*

δαιμόνια σωφροσύνης, καὶ δικαιοσύνης, idem in libr. in Flaccum p. 748. Sed quae verba maxime huc pertinent, ubi eiusmodi sodalitia Romae commemorantur, exstant eodem in libro p. 762. Ἰδιῶται, κατὰ τὴν πόλιν εἰσὶ πολυάνθρωποι, ὧν κατάρχει τῆς κοινωνίας οὐδὲν ὑγιές, ἀλλ' ἄκρατος καὶ μέθη καὶ παροινίαι, καὶ ἡ τούτων ἔκγονος ὕβρις, σύνοδοι καὶ κλίναι προσονομάζονται ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων. Qua igitur religionis despicientia vulgata, mirumne nobis videri potest, quod Iuvenalis, alias quoque Iudaeorum irrisor, proseuches nomen in tabernam transtulerit?

Favebant autem plures Romani, imprimis homines ex infima plebe rebus Iudaeorum, non tam vero religionis sensu, quam conviviorum illorum cupiditate commoti: id quod non modo Ἰδιῶται κατὰ πόλιν πολυάνθρωποι indicant, sed aperte etiam verba Suetonii vit. Domit. c. 12. docent: *ad quem deferebantur, qui vel improfessi Iudaicam viverent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent.* Omnino eiusmodi congregationes, et soluta Iudaeorum in tabernis vivendi ratio imperatoribus displicebat: qua de causa Claudius popinarum coercendarum curam habuit, ut ex Dion. Cass. lib. LV, p. 946. ed. Reim. apparet: τῷ δὲ πατρίῳ νόμῳ βίῳ χρωμένους ἐκέλευσε μὴ συναθροίζεσθαι. τάς τε ἑταιρείας ἐπαναχθείσας ὑπὸ τοῦ Γαΐου διέλυσε. unde simul discimus, vetitum fuisse, ne quid in popinis cocti praeter legumina aut olera venderetur. Conferas etiam Dion. Cass. Ner. LXII, p. 1012. πάντα δὲ ὡς εἰπεῖν τὸν βίον ἐν παιγνί-

λικῇ διαίτῃ ποιούμενος, ἀπεῖπε τοῖς ἄλλοις μηδὲν ἑφθὸν ἐν καπηλείῳ, πλὴν λαχάνων καὶ ἕτνους πιπράσκειν. Sueton. Ner. c. 16. Dion. Cass. Vespas. lib. LXVI, p. 1085. οὐδὲ ἐν τοῖς καπηλείοις ἑφθόν τι πλὴν ὀσπρίων πιπράσκεσθαι ἐπέτρεπε. Iam vero si vocem proseuches ita explices, ut, ratione ἑταιρειῶν illarum habita, Iudaeorum tabernam vel popinam (Iudenherberge, Iudenkneipe) significet, versum 296 videmus continuatam et cum antecedentibus coniunctam quaestionem continere. Addita autem est a petulantissimo iuvene eo consilio, ut animus nobilis, quem cogitamus, Romani magis ad iram incitaretur. Nam quae antea interrogantur: *unde venis? cuius aceto, cuius conche tumes? quis tecum sectile porrum Sutor et elixi vervecis labra comedit?* non tam contumeliosa sunt, quam quae postremo sequuntur, ubi aperte civis ille societatis cum abiectissima gente accusatur. A versu enim 292—94 commemorantur eiusmodi res, quae omnes ad pauperum, et quia Iudaei pauperrimi erant, etiam ad eorum victum pertinebant, et tum temporis in popinis vendebantur. Quid vero *vervecis elixi labra?* Num ea quoque, coctis eduliis vetitis, imperatorum conveniunt edictis? Minime, sed iuvenis ille, ut causam indignationis suae iustam habeat, insimulat quodammodo obvenientem edictum illud non observasse. Ceterum prohibebantur praecipue popinae obsonia pretiosa proponere, ut ex Sueton. Neron. c. 16. liquet, inter quae vervecinum caput, utpote vilissimus cibus, si Martial. XIV, 211. consulimus, referri non potest. Reliquas autem si spectaveris quaestiones, nihil invenies,

quod iussis imperatorum contrarium sit, nec ad victum Iudaeorum pertineat. *Cuius aceto?* Acetum nihil aliud est, ac vinum acidum aquae mixtum, quod plebeculae potus erat, quodque apud Plautum Mil. glorios. act. III, sc. II, vs. 23. *posca*, et in evangelio Matth. XXV, vs. 48. ὄξος nominatur. vid. ibi Pauli comment. t. III, p. 771. *Cuius conche tumes?* Conchis fabae genus, quod Athenaeus lib. IV, c. 16. inter viliores cibos ponit, cuiusque libr. II, Samuel. c. XVII, vs. 28, sicuti denique porri libr. IV Mos. c. XV, vs. 5. mentio fit. cf. Chateaubriand itin. t. II, p. 146.

SATIRA IV.

Vs. 2—4.

Hoc loco Crispini, quem poeta Sat. I, vs. 26 sq. ut mollissimum hominem describit, libidines et fortitudo in re venerea notantur:

monstrum nulla virtute redemtum
A vitiis, aeger solaque libidine fortis:
Delicias viduae tantum aspernatur adulter.

Haec ultima verba varie ab interpretibus explicantur, non inventa tamen ab ullo vera satirici poetae sententia. Vulgaris et probata plerisque interpretatio, ex qua Crispinus solas sectatur nuptas, sed viduarum amorem, ne id lucri causa facere videatur, contemnit, eo laborat vehementer, quod ex ista verborum explicatione non elucet, in qua re Crispini libidinosa fortitudo cernatur. Spernit, ut puto, viduas idcirco, quia, nemine obstante, eas facillime adire possit, quod vero ipsi neque iucundum, neque gloriosum videtur, quum

difficultates potius et pericula quaerat in amoribus suis, artesque exercere velit, quibus maritos decipiat, et deceptorum uxores corrumpat. Qua de causa egregie quadrat in Crispinum, quod Petronius Satir. c. 119 dicit:

non vulgo nota placebant
Gaudia: non usu plebeio trita voluptas.

Hac sententia constituta, particula *tantum* habet, quo optime pertineat, antea aut ad *aspernatur*, aut ad *adulter* male relata, apparente simul et Ruperti *vetulae* pro *viduae* proponentis, et eorum errore, qui vocabulo *viduae* h. l. innuptas significari voluerint. Reliqua, quae expositione indigeant, vel per se clara sunt, vel ab aliis iam satis explicata.

SATIRA IV, vs. 32 sq.

magna qui voce solebat
Vendere municipes fracta de merce siluros.

Multum abest, ut inter varias in hunc locum prolatas aut lectiones aut coniecturas nuperam Mansonis, quamvis probatam multis et acceptam, collaudem, ut adeo eam, antiqua et unice vera in plurimis Codicibus servata, ad non necessarias et inutiles referam. Enimvero recenti prisca illa, etiam a scholiasta cognita, vi et potestate ad vilitatem Crispini bene exprimendam praestat, quippe in eo constantem, quod viles siluros, eosque per viam mutilatos atque a cetariis ipsi venumdatos rursus aliis venderet. Sic Crispinus ut humillimus inter viles piscium mercatores designatur. Vir doctus in ephemerid. liter. Ien. m. April. an. 1823. n. 77, p. 134. *frangere* explicat per *singulatim vendere*, adducto ad hanc

vocis significationem probandam loco Persii Sat. VI, vs 32. quae tamen explicatio faciliori atque fortiori non praeferenda est. Mansonis autem coniecturam iam idcirco nihil loco affert utilitatis, quia in vulgata idem, quod illa exprimit, continetur: nam pisces eiusmodi fricti ad vendendum circumferebantur. Ceterum vide Grangaei et Britannici commentarios, qui partim verum iam antea indicarunt.

His versibus Iuvenalis musarum, quae sibi in re tam gravi adsistant, invocationem facete addit:

Incipe Calliope, licet et considere: non est
Cantandum, res vera agitur.

ubi verba *licet et considere* omnes, quantum scio, interpretes praeter scholiastam leviter et falso ita explicuerunt: licet hac in re immorari, consistere, quam vocem etiam nonnulli Codd. habent, quamque Lubinus aliique alteri praetulerunt. Ex hac porro vitiosa interpretatione particula *hic* in multos libros et editos et scriptos irrepsit, cuius locum cur *et* tantum obtinere debeat, statim videbimus. Brevis scholiastae nota, sed egregia haec est: *considere — aut summisse dicere, aut proprie, res tenues dicere.* Suaviter poeta Calliopen invocat in re ridicula, quasi gravem et arduam acturus sit: sibi vero auxilium ne deneget operis difficultate deterrita, utitur antihypophora in verbis *licet et considere*: non opus est surgere, non opus instinctu inflatuque divino; licet, ut in aliorum poetarum carminibus, etiam hic humi serpere et summisso dicere. Nam nihil fingendum est, sed res vera narranda. *Cantare* hic idem est, quod fingere, fabulas conserere,

vocabulo *narrare* i. e. veras res exponere oppositum. Particulam *et* ideo necessariam censuerim, quia poetae res vulgares et vilissimas canentes oblique taxari videntur, quemadmodum omnino subtilem quandam in his tribus versibus poetarum illius aevi reprehensionem animadvertimus. *Subsidere* de quavis sive animi sive rerum elatione et impetu valet, quae componuntur et submittuntur. subsidere venti, mare, aequora, undae dicuntur, quum placidum ventis stat mare. vide Burman. ad Propert. lib. I, eleg. 8, vs. 14. etiam ignis, quum restinguitur. Senec. Thyest. vs. 283. *Anime, quid rursus times, et ante rem subsidis?* Plin. lib. II, ep. XI, 6. *favor et misericordia acres et vehementes primos impetus habent, paulatim consilio et ratione, quasi restincta, considunt.* Quinct. lib. III, 8. *Impetus dicendi subsidit.* Oppositum huic voci est *consurgere.*

SATIRA IV, vs. 48 sq.

dispersi protinus algae
Inquisitores agerent cum remige nudo.

Ne dubites dictionem *agerent cum remige nudo* sensu forensi accipere, ut significet *in ius vocare, illum in iudicio convenire, accusare.* Nam Rupertum, hoc modo dici posse *cum aliquo agere* negantem, sed potius *in aliquem*, vel lexica erroris convincent. Dicunt *cum aliquo agere furti*, h. e. *furti actionem intendere in aliquem.* Cicer. pro Cluent. c. 59. *Cum servo Aviti furti egit; dementiae* Quinctil. lib. IX, c. 2, p. 90. *iniuriarum* Quinctil. lib. III, c. 6. vel omisso vel ad-

dito nomine *lege* aut *iure*. Hinc *actor* idem est, qui *accusator*. Accusabunt, inquit, delatores, adeo minima perscrutantes, piscatorem furti, quandoquidem mullum ex imperatoris scilicet piscinis elapsum non reddet. Genitivus non additus est, sed quod eius vi indicatur, latet in sequentibus.

SATIRA IV, vs. 64.

Exclusi spectant admissa opsonia Patres.

Iam oppositum *admissa opsonia* docere debebat interpretes, ut Rupertum in prima editione, aliosque, *exclusos* h. l. dici patres a foribus conclavis imperatoris. Quibus aditus ad aliquem prohibetur, ii excludi vulgo, quibus contra patet, admitti dicuntur. Horat. Sat. I, sat. II, vs. 67. *Excluus fore*. Ovid. Amor. I, eleg. VIII, vs. 785. *Audiat exclusi verba receptus amans*. Sueton. Oth. c. 3. *sed ipsum etiam exclusisse quondam pro foribus adstantem*. Plaut. Menaechm. act. IV, scen. III, vs. 24. *Abiit intro, occlusit aedes: nunc ego sum exclusissimus*. Sed potissimum Plin. Panegyr. c. 13. ad hunc locum comparandus est, ubi eadem verba coniunguntur. *Observabantur foribus horror et minae, et par metus admissis et exclusis*.

SATIRA IV, vs. 69 sqq.

Ipse capi voluit. Quid apertius? Et tamen illi
Surgebant cristae: nihil est, quod credere de se
Non possit, quum laudatur diis aequa potestas.

Noli in horum verborum explicatione novissimis interpretibus, Achaintrio, ad Pratei sententiam incli-

nanti, et Ruperto assentire, sed scholiastae sapientia et auctoritas plurimum apud nos valeat: quippe aperte illi errant, quod cristas erectas tribuentes pisci omnem, quae inest, bilem in Domitiani temeritatem effusam loco detergent. Poteras potius verba de imperatore, vanam laudem et adulationes indignabundo, intelligere, quemadmodum nos dicimus: Einem Heiligen konnte der Kamm dabei anschwellen, in quam rem quoque Dion. Cassii fortasse iudicium adiuvabit lib. LXVII, c. 4. *τοῦτο δεινότατον ἔσχεν, ὅτι καὶ κολακεύεσθαι ἤθελε, καὶ ἀμφοτέροις ὁμοίως ἤχθετο, καὶ τοῖς θεραπεύουσι, καὶ τοῖς μή· τοῖς μὲν ὅτι σωπεύειν, τοῖς δὲ, ὅτι καταφρονεῖν ἐδόκουν*, ut sententiam nunc hanc esse putemus: nemo, salse dicit poeta, dubitabit de piscatoris dicto, piscem ipsum in Domitiani tempora servatum capi voluisse, ut ab illo consumeretur. Attamen Domitianus illi irascebatur, neque hoc mirum, nam Caesar omnia et sibi et a se, quippe divina vi praedito, fieri posse credit, ut levissimarum istiusmodi rerum commemoratione opus non sit. At acerbiores sunt in imperatorem aculei, si cum scholiasta verba ceperis de illius animi elatione et fastu, ad quem exprimendum lepide per comparationem ab avibus cristatis metaphora petita est. *Quid apertius?* verba poetae sunt, piscatori quidem non respondentis, sed ad verba eius cum ironia et acerbitate quadam animadvertentis, et significant, quid incredibilius est, quid absurdius, quam adulatori fidem habere? et tamen ille magnifice se ideo iactat, tamquam gallus gallinaceus cristis erectis ingrediens, quum sibi nomine dei arro-

gato etiam divinam potestatem inditam putet. Dio Cassius lib. LXVII, c. 13. δεσπότην τε καὶ θεὸν (ἃ παρὰ τῶν ἄλλων ἤδη προσηγορεύετο) πολλάκις ὀνομάσας. Sueton. c. 13. et Martialis eum ubique nominant deum. Vide quae congessit Reimarus ad l. l.

SATIRA IV, vs. 98.

Unde fit, ut malim fraterculus esse gigantis.

Quod ad lectionem *gigantis* attinet, eam nolim commutatam cum altera *gigantum*, nimirum faciliori, neque satis librorum auctoritate defensa. Deinde ut concinnior et loco aptior sententia oriatur, non opus est Ruperti coniectura: *ut nolim fraterculus esse gigantis.* Vulgata quum contextus ratione, tum historia ipsa bene firmatur. In nobiles enim et divites saeviebat Domitianus atrociter: unde nobilitas et divitiae perniciei erant Romanis illius aevi, ut poeta, se malle hominem obscurum et ignobilem esse, quam nobilitate conspicuum, dicere posset. *Gigas* est terrigena, et secundum M. Minuc. Felic. Octav. p. 213. *terrae filii ignobiles et ignoti* nominantur, vel ut Tertullianus Apolog. c. 10. dicit, *quorum genus incertum est.* Vide plura in hanc rem apud interprett. ad M. Minuc. Felic. l. l. edit. Wouwer. *Fraterculus gigantis* denique vehementer vexavit Ruperti ingenium, quorum tamen verborum sententia intellectu facillima est: malim eadem, qua gigantes, origine esse, quamquam illis pro hominum nunc viventium natura vastitate corporis et virium robore longe inferior sum. Iam Perottus Cornu Cop. p. 771. eum errore poterat liberare hisce

verbis: *amplissimis corporibus homines gigantes vocantur, quos raro iam, aut numquam videri certum est, decrescentibus fere continue mortalium corporibus. Homerus certe non cessat conqueri maiora temporibus suis corpora hominum esse, quam quod priscis fuissent:* **Ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ Τυδείδης μέγα ἔργον, ὃγ' οὐ δύο ἄνδρε φέροιεν, οἷοι νῦν βροτοὶ εἰσιν.**

SATIRA IV, vs. 104—106.

Nec melior vultu, quamvis ignobilis, ibat
Rubrius, offensae veteris reus atque tacendae
Et tamen improbior satiram scribente cinaedo.

De Rubrio interpretes multa quidem, non vero certa, silente historia, proferunt. Vetus eius offensa quae fuerit, sciunt scholiastae, quibus, quum eorum in rebus historicis doctrinam et intelligentiam ex aliis multo obscurioribus locis cognoscamus, melioribus aliunde non compertis, fidem habendam esse existimo. Intelligitur sine dubio sub h. v. sive stuprum virgini alicui nobilissimae illatum, sive adulterium cum ipsa Domitiani uxore commissum, quod posterius tradente uno scholiasta statuere perplacet, quia id ipsum poeta usu vocis *tacendae* innuere videtur. Quid enim taciturnitate opus erat, si homo ille, ut Manso vult, criminis laesae maiestatis reus fuisset? Quae deinde vis satirica orationi inest? Nulla sane: quae tamen non deerit, simulac tale quid, quale adulterium cum principis uxore, cogitaveris: quod, quamvis Romanis notissimum, poeta tacendum esse simulat, ne aut honestatem et pudorem, qui tamen alibi eum a rebus turpibus com-

memorandis non prohibet, violet, aut ne principis reverentiae et maiestati, quae scilicet tunc temporis nulla erat, noceat, atque ita Caesareae familiae ignominiam inurat. Praecipue Domitianum, qui, ignominia domui suae aperte illata, in clementiae tenore permanserat, irrideri vult. Cui quidem explicationi comprobandae etiam sequentia maxime conveniunt. Impudentior Rubrius eo (hoc enim significat *improbior* vid. Catull. c. 55, 1.), qui ipse cinaedus alium eiusdem vitii accusat, idcirco vocatur, quia Paridis Domitiae adulteri delator, eiusdemque mortis causa fuisse videtur. Vid. schol. Iuven. ad VI, vs. 87. Sueton. vit. Domit. c. 3. et Dion. Cass. lib. 67, c. 3.

Ultima verba *satiram scribente cinaedo* ad Neronem pertinere, neque eum obscurius notatum esse, quam ut se intellectum iri poeta sperare posset, contra Mansonem pro certo habeo. Primum Nero in satiris nonnumquam tacite vituperatur, deinde cinaedus, sive ἀρσενοκοίτης, vid. Kühnium ad Polluc. lib. VIII, 140 fuit, nam teste Dion. Cass. LXII, 28. LXIII, 13. ibique Reimar. *Πυθαγόρᾳ τινὶ ἐξελευθέρῳ γεγαμημένος* erat, denique probrosa quaedam carmina ab ipso in alios, ut in Afranium Quinctilianum, mollitia corporis infamem Tacit. Ann. XV, 34. et in Clodium Pollionem praetorium virum conscripta, Romanis tam nota fuisse, ut quivis facile Caesarem a Iuvenale ita insignitum intelligeret, ex Persio colligi licet, qui ad aliud Neronis carmen *Luscio* inscriptum Sat. I, vs. 128. *et lusco qui possit dicere, lusce,* alludit.

SATIRA IV, vs. 115 sqq.

Inter proceres, quos Domitianus convocaverat, fuit quoque Catullus, homo nequissimus, et, ut poeta dicit,

Grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum,
Caecus adulator, dirusque a ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes
Blandaque devexae iactaret basia rhedae.

Cui morum descriptioni Plinii verba accurate conveniunt lib. IV, ep. 22. *Incidit sermo de Catullo Messalino, qui luminibus orbatus ingenio saevo mala caecitatis addiderat: non verebatur, non erubescebat, non miserebatur. Saepius a Domitiano non secus ac tela, quae et ipsa caeca et improvida feruntur, in optimum quemque detorquebantur.* Attuli Plinium ideo, ut non solum verborum poetae explicationem adiuvaret quodammodo, sed etiam Ruperti sententiam, cum Cataneo ad Plin. l. l. Catullum caecutientem, non caecum omnino fuisse suspicantis, reiceret. Quod enim caecus de re gravissima coram principe, heo indignante quidem, iudicans inducitur, egregie a poeta satirico, quippe qui Domitianum lepide proscindere vellet, institutum dicas. Omissis vero virorum doctorum interpretationibus, ne minimi quidem momenti, et quod maxime mirandum est, vitae Catulli adversantibus, ego quae de hoc loco sentio addam. Duo potissimum in describendo Catulli Messalini pravo ingenio notantur vitia, adulatio et crudelitas: prior ut tamquam foedissima et abiectissima

insigniatur, homo ille, quamquam revera non mendicus, tamen *a ponte satelles* nominatur, quia imperatorem, ut mendici transvehentes, submissis adulationibus persequebatur; *dirus satelles*, quia ab imperatoris latere non discedens immanissimus eius facinorum factus erat minister; denique verbis *a ponte* serviles hominis mores indicantur. Dictum autem est *a ponte satelles* ad eam rationem, qua Romani ministeria libertorum servorumque designare solent, ut *a rationibus, ab epistolis.* Rarior est in ista compositione praepositio *ad.* Propert. lib. IV, el. 8, 37. *Lygdamus ad cyathos.* Iuven. sat. XIII, vs. 44. *formosa nec Herculis uxor ad cyathos.* Catull. c. X, vs. 16. *ad lecticam homines.* cf. Iuven. sat. XIV, 134. *aliquis de ponte*, ut Cicero dicit Orat. c. 15. *declamator aliquis de ludo, rabula de foro.* Orat. lib. II, c. 7. *homo de schola.* Apud Iuvenalem difficultates constat inde oriri plurimas, quod is multa verbis suis involvat. Cur vero dignus idem, qui ad Aricinos axes mendicaret? His verbis accuratius explicatur *a ponte:* quemadmodum enim mendici in pontibus vid. Martial. lib. XII, epigr. 28. Ovid. Ib. vs. 420, praecipue in ponte Sublicio cf. Senec. de vit. beat. c. 25. versari solebant, ita eorundem stationes prope Ariciam, quia magna illuc hominum multitudo ad Dianae lucum confluebat, frequentes erant. vid. Martial. lib. II, epigr. 19. *Debet Aricino conviva recumbere clivo.* Pers. s. IV, vs. 56, et quos Rupertus addit. Atque in tanta stipem ibi petentium multitudine fiebat, ut alter altero magis suppliciter adiret curru vehentes Ariciam (hinc certa est vulgata lectio *ad axes*), adeoque superare blandimentis

studeret: inter quae quidem vilissimum adulationis venerationisque signum illud erat, quod a poeta commemoratur, basia iactare. cf. Sat. III, vs. 106. *A facie iactare manus.* Tacit. Histor. lib. I, c. 36. *nec deerat Otho protendens manus adorare vulgum, iacere oscula, et omnia serviliter pro dominatione.* Dio Cassius de Othone lib. 64, c. 8. *τά τε ἄλλα ἐπιεικῶς ἐφθέγγετο, καὶ τῇ ὑποκρίσει τοῦ σχήματος ἐμετρίαζε· φιλήματά τε ὡς ἑκάστοις διὰ τῶν δακτύλων ἔπεμπε, καὶ ὑπεσχνεῖτο πολλά.* Aliis verbis idem dixit Tacit. Ann. XVI, c. 3. *Postremo flexu genu et coetum illum manu veneratus sententiam operiebatur.* Lucian. in encom. Demosth. 2, p. 797. *τὴν χεῖρα τῷ στόματι προσαγαγόντος οὐδὲν ἄλλ' ἢ προσκυνεῖν ὑπελάμβανον.* Vid. Lips. Elect. lib. II, c. 6. Itaque ut poetae sententiam complectar, haec est: Catullus, grande monstrum, caecus adulator, crudelis Domitiani satelles ingenio servili et tantopere adulandi artem callens, ut quovis tempore mendicorum in via ad Ariciam versantium turbae adscribi queat.

SATIRA V.

Vs. 8—10.

Poeta parasitis turpis ipsorum vitae emendationem suadens haec dicit:

Nulla crepido vacat? nusquam pons et tegetis pars
Dimidia brevior? Tantine iniuria coenae,
Tam ieiuna fames, quum possit honestius illic
Et tremere et sordes farris mordere canini?

Invenies, quae in haec verba a viris doctis disputata sunt, in excursu novissimae editionis collecta. Heineckii verborum traiectionem *possis quum* summo iure vituperavit Rupertus, neque minus Mansonis scripturam, quamquam illi ea in re, quod licentiam, qua famelico convenientia ipsi fami tribuantur, a satirographi oratione dicit alienam, assentiendum non putem. Eandem, vel certe similem dicendi audaciam nonne plura Iuvenalis, potissimum haec exempla produnt? Satira I, vs. 117. *Sed quum summus honor finito computet anno.* vs. 116. *quaeque salutato crepitat Concordia nido.* Sat. II, vs. 34 sq. *Nonne igitur iure ac merito vitia ultima fictos contemnunt Scauros et castigata remordent?* vs. 120. *Ingens coena sedet,* ubi nihil mutandum erat. Sat. VI, vs. 203. *labente officio.* Igitur non erat, cur ab hac re Manso taxaretur, sed rectius a sententiae ex eius distinctione emanantis perversitate. Verum Rupertus ipse, etsi in verbis explicandis felix, fallit tamen, novam scripturam *pol sit*, at comicorum leviori potius, quam graviori Iuvenalis orationi accommodatam proponens. Equidem plurimos Codd. sequutus dedi *possit*, quo enunciatio generalis nascitur, cuius subiectum, ratione antecedentium habita, cogitatione suppleas per *aliquis, quum possit aliquis vehementi fame vexatus etc.* Eiusmodi omissio vv. *aliquis*, τὶς, Graecis frequentissima, non rara Romanis est in tertiis personis *inquit*, *ait* quae germanico *sagt man*, *heiſst es* bene respondent. Iuven. Sat. III, vs. 153. *Exeat, inquit, si pudor est, et de pulvino surgat equestri*, ubi designatorem ne-

quaquam intelligas. Sat. X, vs. 291. *Cur tamen, inquit, corripias? Pulcra gaudet Latona Diana.* Iuven. Satir. IX, vs. 63. *Improbus es, quum poscis, ait: sed pensio clamat.* ubi nec Virro subiectum est, aut alius quisquam, nec *ait* in *ais* cum Ruperto et aliis viris doctis mutandum censeo. Cuius usus ignoratio librariis h. l. ansam praebuit *possis* scribendi; inde postea *poscis* ortum est, intellecta ultimae in *possis* syllabae productione. Iam verborum sententia haec est: Estne tanti, facienda coena illa divitum, iniuriarum plena, ut propter honorem misere et contumeliose tractari malis, quam pauperiore, sed tibi honestiore tamen loco versari? tantane et tam dira fames, ut non alia ratione eam expleas, quum tamen aliquis vehementi fame vexatus in mendicorum statione id honestius possit?

SATIRA V, vs. 38 sq.

Ipse capaces
Heliadum crustas et inaequales beryllos
Virro tenet phialas.

Codicum plurimorum scripturam, quae etiam veteris scholiastae auctoritate confirmatur, *inaequales beryllos*, primus inter recentiores Achaintrius restituit, non ea tamen explicatione, quam loco aptissimam esse censeo. Erant divitibus Romanis tempore, quo luxuria totam urbem corruperat, inter alia pretiosa aut gemmata aut gemmea pocula, quorum haec ex integris gemmis constabant. Vid. Apulei. Metam. lib. II, p. 35. *pueri calamistrati pulcre indusiati gemmas formatas*

in pocula (i. e. pocula gemmea) vini vetusti frequenter offerentes. Pacatum in Panegyrico: *nisi aestivam in gemmis capacibus glaciem Falerna fregissent.* Atque talia interpretatus h. l. Francogallus est; Virronem tenere phialas ex Heliadum crustis et inaequalibus beryllis effictas contendens. Ita tamen verba ne capias, vetant, quae sequuntur, ubi servus numerare gemmas, easdemque Virro a digitis ad pocula transferre dicitur. Sunt igitur pocula gemmata intelligenda, fundum, ut hoc utar, aureum habentia, Graecorum λιθοκόλλητα ποτήρια, quorum circuitum et fissuras gemmis et unionibus adornabant: quae inaequales beryllos poeta appellat, quoniam iis tanta gemmarum extuberantia et asperitate insignium multitudo adhaerebat, ut auri, ex quo facta erant, nihil appareret, eaque ipsa ex solis beryllis composita viderentur. Qua re viri magnificentia et opes indicantur, quae, si scriptum esset *inaequales beryllo*, non ita eminerent. Conferas cum his Plinii Hist. nat. lib. XXXIII prooem.: *Turba gemmarum potamus, et smaragdis teximus calices: ac temulentiae causa tenere Indiam iuvat, et aurum iam accessio est.* Vid. Vossium ad Virgilii Georg. lib. II, vs. 506, pag. 447. Dicit itaque Iuvenalis: *Virro bibit e succino, et phialis, quae, quamquam aureae, tamen totae beryllis videntur constare.* De Heliadum crustis vide, quae inter alia Gesner. in thesauro sub h. v. disputat. *Crustae Heliadum, inquit*, h. e. *trulla, vel alia vasa, in quibus bibitur, ex succino. Crustas vocari puto, quia de cortice arborum stillare et fluere putabatur iam tum electri illius materia.*

SATIRA V, vs. 51, 52.

Non eadem vobis poni modo vina querebar:
Vos aliam potatis aquam.

Turbatum dicit Manso horum versuum ordinem, eumque ita restituendum putat, ut versum 51. ante vs. 49. transponat. Ac profecto nemo erit, qui lucidiorum isto modo verborum sententiam esse neget. Num vero versuum mutatio probanda est, cuius nullum in Codd. vestigium invenitur? Eadem de causa viro docto in Ephem. litter. Ienens. an. 1822, n. 82, versum 51 eiiciendum censenti, assentire nolim. Nam hiusmodi sententiarum interruptio apud Iuvenalem non offendit, vide Sat. VI, vs. 23, 24 et quod ille versum istum frigidiorem, quam qui poetae tribuatur, vocat, itidem non crediderim. Potius vim quandam in eo sitam esse contendo: eadem enim, quae antea fusius expressa sunt, breviter repetit, et parasito, ut rei turpitudinem, eiusque conditionis miseriam augeat, in animum revocat et quasi inculcat, quantam a conviviorum dominis eo expertus sit contemtionem, quod ipsi inter coenandum non modo viliora vina, sed etiam alia aqua ponatur.

SATIRA V, vs. 27.

Dextram cohibere memento,
Salva sit artocopi reverentia.

Libri mss. et editiones antiquae lectionibus *artocopi* et *artoptae* inter se discrepant, et si interpretum aliorumque notas inspicimus, summam eorum in expediendo hoc versu dissensionem animadvertimus. Qui *artoptae* tuentur, vocem derivantes ab ἄρτος et ὀπτάω, et quem-

vis panem, vel certe lautiorem, intelligunt, errant aperte, multo magis Forcellini, quod in *artoptae* satiricam urbanitatem quaerens verborum vim ita explicat: *verere artoptam in domini delicias, velut in usum sacrum, comparatam, neque audeas tangere panem in ea coctum:* pessime vero ii, qui *artoptam* dicunt panis inspectorem s. custodem ad analogiam vv. λιτόπτης, οἰνόπτης, quum sequenti versu idem circumscriptione significetur. Scripturam optimorum a Ruperto, et triginta quatuor ab Achaintrio collatorum librorum *artocopi* retineamus necesse est, et quod in Thuan. I. legitur *artocoptae*, inde ortum putemus. Artocopos ab ἄρτος et κόπτω descendens non est, qui panes discindit, sed qui panem subigendo elaborat, eumque ita molliorem et delicatiorem perficit, idem quod ἀρτοπόπος. Vid. Polluc. Onom. lib. VII, 21. ἀρτοποιοί, ἀρτοπόποι. Ξενοφῶν δὲ τοὺς ἀρτοκόπους, Phrynichi Eclog. p. 222 sq., qui quidem nomen ἀρτοκόπος improbat, sed doctissimus Lobeckius ab eo ἀρτοποιός damnatum esse, idque vocabulum primo loco, ἀρτοκόπος postremo reponi debere, sibi persuasum habet. Ἀρτοκόποι nonnullis Graecorum auctorum locis commemorantur, et ita quidem, ut inter praestantiores referre possint: sic Persarum regum ἀρτοκόποι inter ὀψοποιούς et οἰνοχόους inveniuntur. Neque sine causa Iuvenalis graecam vocem sumsisse videtur: voluit sine dubio peregrina appellatione, ut olim nostrates Francogallica, hominis artem, decus et elegantiam indicare. Hoc certe verum est, ἀρτοκόπους praestantia superiores fuisse pistoribus, omninoque homines, ut

ita dicam, melioris farinae: id quod partim ex Iul. Firmic. Astrol. 8, 20, quem Schneiderus lexic. gr. citat, elucet: *Decima octava pars Tauri si in horoscopo fuerit inventa, faciet artocopos, vel pistores*, partim ex gravi poetae admonitione *Dextram cohibere memento*. Accedit etiam quod *reverentia* usus est, quae, si clientes abstinuerint pane ab artocopi manibus confecto, non violetur.

SATIRA V, vs. 76—77.

Pauper cliens de ingrato patroni animo conquerietur, a quo, quamquam difficillimos matutinae salutationis labores sustinuerit, inhoneste tamen tractetur:

Scilicet hoc fuerat, propter quod saepe relicta
Coniuge, per montem adversum gelidasque cucurri
Esquilias.

Mons Esquilinus, teste Varrone de l. l. lib. IV, c. 8. duos habebat colles, plures lucus et valles, qui praesertim verni temporis asperitate humore pleni et frigidi erant. Ad hanc vallium naturam retulerim *gelidas Esquilias*, quas Propertius lib. IV, eleg. 8, vs. 1. *aquosas* nominat, sicuti etiam in Virgil. Georg. lib. II, vs. 488. *gelidi valles* reperiuntur. Debebat enim h. l. incommodum ipsius loci, per quem iter faciebat cliens, afferri, non quod demum imbre et veris tempestate exortum, sed potius adauctum erat. Et quum verbis *montem adversum*, quo adiectivo ascensionis difficultas notatur, collis Esquilinus indicetur, habemus h. l. brevem totius regionis circumscriptionem.

SATIRA V, vs. 83.

Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo
Ponitur, exigua feralis coena patella.

Eandem querelam Martialis lib. II, epigr. vs. 35. tollit in miseram divitis parsimoniam, qui, dum cammarus convivae in fictili paropside apponitur, ingentibus mullis sibi lances impleri iussit. Verba h. l. *dimidio constrictus cammarus ovo*, si forte Grangaeum exceperis, omnes interpretes male intellexerunt: quae tamen lucem spero acceptura esse ex Platinae adnotatione, qui de hoc cibi genere in libr. IX. de tuenda valetudine loquitur: *Ova recentia cocta, et durata, ablatis putaminibus, modice secantur, ita ut albamentum non comminuatur. Exemptis vitellis, induntur parati et confecti minutim pisciculi, seu lacerti, seu caseus cum posca, cum aliis condimentis, rursumque ova albumine clauduntur et friguntur.* Pisces si maiores erant, quam qui in mediam ovi partem inferri possent, in frusta quadrata concidebantur. Plin. Hist. nat. IX, c. 15. *Pelamides in apotectos particulatim consectae, in genera cybiorum dispartiuntur.* Hinc Martialis lib. V, epigr. 75. vs. 5. *Divisis cybium latebit ovis.* ubi vid. Raderum lib. I, epigr. 48. *Secta coronabunt rutatos ora lacertos.* Et Apicius lib. II, c. 1. affert *insicia marina de cammaris.* Ex quo sensu *constrictus* non est *macer, tenuis*, non *circumdatus*, sed nihil aliud, nisi *conclusus*, et *dimidio*, quod apud seriores saepenumero factum est, posuit poeta, ut Martial lib. II, epigr. 37. *dimidium mullum*, pro *dimidiato. Dimidiatum enim* et *di-*

midium, auctore Varrone apud Gellium lib. III, c. 14., sic differunt, ut illud dicatur de re in duas partes divisa: hoc de parte altera rei ipsius bifariam divisae. *Dimidiatum* ergo *pomum* recte dici potest de pomo, quod in duas partes concisum est, non potest *dimidium pomum*. Contra si quis se legisse *librum dimidiatum*, ubi partem libri intelligeret, dicere vellet, peccaret; dicendum potius erat dimidium libri. Verum *dimidiatam fabulam audivi* ei licet, qui fabulae interfuit, quae non tota uno tenore, sed bifariam agenda datur: quod quidem in Salanam, quam dicunt, nympham cadit. Adiectivum *dimidius*, si recte loqui volumus, solis substantivis, quae non totam rem, sed partem rei exprimunt, addendum est: quamobrem bene cum ipso vocabulo *pars* coniungi solet, *dimidiata* non potest, nisi ubi alteram rei partem rursus divisam dicas.

SATIRA V, vs. 98.

sumitur illinc,
Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.

Lenas et *Aurelia* ficta nomina sunt: ille heredipeta, quippe qui a leniendo sic appellatus munusculis deleniret divites orbas, earumque opibus inhiaret: Aurelia, quo nomine ad auri eius molem alluditur, dives orba, sed quum pisces dono acceptos venderet, avara, quales Horat. Epist. lib. I, ep. I, vs 78. innuit: *qui crustis et pomis viduas venentur avaras*. Infra vs. 141. Migale, ut Dorvillius secundum scholiastam scribit, nomen uxoris Virronis est, ex ipsa coitione a *μίγνυμι* factum, nisi retinere malis *Mycale*, magae nomen apud Ovid.

Metam. lib. XII, vs. 263, ita ut mulier, quae observatione siderum futura praediceret, intelligeretur. Erant enim tunc temporis, quae artem istam callerent, certe profiterentur. Vid. Iuven. Sat. VI, vs. 572, 576. Aliud fictitium nomen invenitur Sat. VII, vs. 9. Machaera, quod a Graeco *μάχαιρα* derivandum parasitum significat, ut cui usus cultri in divitum mensis iucundissimus sit. Satir. VIII, vs. 96. *Chaerippe*, ubi Grangaeus dicit: Cilicis nomen fictitium, quod Cilices ut plurimum equis gaudeant, ut *Damasippus* Sat. IX, a *δαμᾶν* et *ἵππον*. Sat. VI, vs. 383. *Hedymeles* citharoedus a dulci cantu sic nominatus, et eiusdem Satir. vs. 35., ubi *pusio* occurrit, scholiastes, quod certe ex eius nota: *a facto nomen*, coniicimus, pygionem i. e. *πυγιστήν*, a *πυγή* descendentem, cogitasse videtur. Sed pusio ibi recte se habet, sustentatus etiam aliis locis, e. g. Apulei. Metam. lib. IX, pag. 196. ed. Pric. *solus ipse cum puero cubans, gratissima corruptarum nuptiarum vindicta perfruebatur. — Tu autem, inquit, tam mollis ac tener et admodum puer, defraudatis amatoribus aetatis tuae flore, mulieres appetis.* lib. VIII, p. 171. *Et heus, aiunt, cave ne solus exedas tam bellum scilicet pullulum; sed nobis quoque, tuis palumbulis, nonnumquam impertias.* Ubi pullulus qui dicitur, nihil est, nisi *pusio*. Festus Pompeius: *Antiqui puerum, quem quis amabat, eius pullum dicebant.* Satir. VI, vs. 491. ornatrix, quae capillis unguenta, vel alios odores minutim instillat, Psecas a *ψεκάζειν* appellata est. Vide praeter Sphanhem. ad Callim. h. in Pall. vs. 22. Reinesii syntagm. inscript. I, 89. Wernsdorfium ad

Himer. p. 762, Neque immerito hoc nomen praeceptoribus quibusdam imponi potest, qui doctrinam suam minutim exspuunt; idem iam Alciato datum ab auditoribus, quod subinde eorum capita irrogaret.

Interdum etiam poeta satiricus nomine clarorum virorum alios eiusdem ordinis vel artis, sed ignobiliores, facete designat: cuius rei ignoratio interpretes Satir. VII, vs. 190—194, ubi Quinctilianus pro alio istius aevi rhetore occurrit, vehementer vexaverat, donec Spaldingius in praefat. ad Quinctil. p. 31 sq. opem tulit laborantibus. Profecto non poterat poeta in celeberrimum illum rhetorem tam acerbe et indigne invehi, ut iam idcirco alium illis temporibus notum et cuivis lectorum ex hac descriptione ante oculos versantem carpi appareat.

SATIRA V, vs. 115 sq.

et flavi dignus ferro Meleagri
Fumat aper: post hunc raduntur tubera, si ver
Tunc erit et facient optata tonitrua coenas
Maiores.

Displicebat N. Heinsio ad Ovid. medicam. fac. vs. 85. epitheton *flavi*, quod otiosum dicit, nec satis grave ad virtutem herois Meleagri exprimendam: idcirco emendat *navi* s. *gnavi* et *validi*, fortiora sane etiam tum, quum *flavi* ad Homericum ξανθὸς respiciens de sola herois pulchritudine usurpatum dicis. Sed ubi ξανθὸς heroibus additur, non fit ex veterum cogitandi ratione pulchritudinis, sed potius fortitudinis indicandae causa: quapropter necessariae non sunt N. Hein-

sii coniecturae. Nam qui flavos et rutilos crines gerebant, si verba Clement. Paedag. lib. III, c. 8, p. 98. spectamus: ἔχει τι φοβερόν, τὸ εὔτριχον τοῦ βαρβάρου, καὶ τὸ ξανθὸν αὐτοῦ πόλεμον ἀπειλεῖ, συγγενές τι χρῶμα τῷ αἵματι, viri fortes habebantur: quae observatio etiam affirmatur narratione Tzetzae ad Lycophr. vs. 650. Τεμοῦσα δὲ (Σκύλλα) τὴν χρυσῆν αὐτοῦ τρίχα, καὶ ἄνανδρον αὐτὸν ἐργασαμένη, (ἐν ἐκείνῃ γὰρ τῇ τριχὶ ἦν αὐτῷ τὸ πᾶν τῆς δύναμεως, καθάπερ καὶ τῷ Σαμψών.)

Vs. sequenti Rupertus in edit. novissima *tradentur* scripsit, improbans lectiones Codd. *raduntur* et *radentur*, quia h. l. de cibis iam paratis et in mensa apponendis sermo sit, et Achaintrius eum non sequutus, temere tamen *hunc* in *huic* mutavit. Quidni Rupertus *raduntur* explicat, ut Satir. XIV, vs. 7. per *purgantur abraso cortice?* Ita fortiorem vocem languidissimae loco servamus. Poeta enim, dum voce *raduntur* utitur, et actionem, quae iam facta exspectatur, ita proponit, tamquam demum fiat, nihil aliud spectavit, nisi ut rem vivide narraret, praecipue vero, ut quomodo tubera, utrum cortice abraso, an incommode, apponerentur diviti, indicaret. Poterat etiam dicere, si voluisset, *rasa traduntur tubera.* Qualia autem ea fuerint, dicitur verbis additis *si Tunc ver erit et facient optata tonitrua* etc.: nimirum tenerrima nascuntur vere, et quae e tonitribus, maxima sunt: alia spernebat homo gulosus. Vid. Plin. Hist. Nat. lib. XIX, c. 3. Galen. lib. II de alimentorum facultate, Apollon. Dysc.

Histor. mirabill. c. 47. Plutarch. Sympos. quaest. lib. IV, c. 2, p. 664.

SATIRA V, vs. 132 sqq.

Quadringenta tibi si quis deus, aut similis dis
Et melior fatis donaret homuncio: quantus
Ex nihilo fieres, quantus Virronis amicus.

Sic interpungas cum vett. editionibus necesse est, quarum signum Achaintrius et Rupertus imprudenter reliquerunt, sua interpunctione meliorem sententiam effecturi. Contendunt enim, quia diminutivum *homuncio* contemtim usurpetur, non posse id verbis antecedentibus recte aptari, et si ad sequentia trahatur, Lubinus poetae morem, contraria coniungentis, servari ait. Quod pro recepta distinctione apprime facit, est Latinorum consuetudo haec duo *deus* et *homuncio* copulandi, quam hic quoque servatam malim. Terent. Eunuch. act. III, sc. V, vs. 42 sq. *At quem deum? qui templa coeli summa sonitu concutit. Ego homuncio hoc non fecerim? ego vero illud fecerim, ac lubens.* Cicer. de natur. deor. lib. I, §. 123. *Neque enim tam desipiens fuisset, ut homunculi similem deum fingeret.* Tuscul. Quaest. lib. I, c. 9. *nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa, quae dixero: sed ut homunculus unus e multis probabilia coniectura sequens.* Academ. lib. IV, c. 43. *Zeno in una virtute positam beatam vitam putat. Quid Antiochus? Etiam, inquit, beatam, sed non beatissimam. Deus ille, qui nihil censuit deesse virtuti: homuncio hic, qui multa putat,*

praeter virtutem homini partim cara esse, partim etiam necessaria.

SATIRA V, vs. 141 sqq.

Sed tua nunc Migale pariat licet et pueros tres
In gremium patris fundat simul: ipse loquaci
Gaudebit nido, viridem thoraca iubebit
Afferri minimasque nuces assemque rogatum,
Ad mensam quoties parasitus venerit infans.

Vera horum versuum interpretatio inde pendet, ut recte definiatur, utrum Migale Trebii uxor, an concubina, deinde utrum sub *ipse* patronus Virro intelligendus sit, an pater. Rupertus Migalen non uxorem Trebii ducit, sed concubinam, addens praeterea in Addendis hanc interpunctionem: Sed tua nunc Migale pariat! Licet et pueros tres In gremium patris fundat simul; ipse loquaci: cui omni iure Censor eius in litter. Ephem. Lips. n. 67. mens. Mart. 1822 adversatur, meliorem tamen non proponens: *Sed tua nunc Migale pariat: licet! et pueros tres In gremium fundat simul, ipse.* — Manso interpretes ad unum omnes erroris ad hunc locum accusat: ipse vero omnium maxime errat, quod pronomen *ipse* ad patrem relatum vult, unde nimirum variae oriuntur ineptiae. Primum quaerendum est, cur Trebius blandienti puero, quoties ad mensam venerit, elegantiores vestes, Avellanas nuces et quae sequuntur, afferri iubeat. Quasi non alio tempore, aut alio loco idem pater facere potuisset. Sed hoc ipsum ostendit, verba *ad mensam*, ut Plauti Trin. act. II, sc. 4, vs. 77. *verecundari neminem apud men-*

sam decet, referenda esse ad coenam ipsam, ad quam Virro invitatus a Trebio venerat: qui ut rursus invitetur, liberis illius blanditur variis munusculis secundum Theophrasti Charact. V. praeceptum: *κεκλημένος δὲ ἐπὶ δεῖπνον, κελεῦσαι καλέσαι τὰ παιδία τὸν ἐσθιῶντα· καὶ ἐσθιόντα φῆσαι σύκου ὁμοιότερα εἶναι τῷ πατρί· καὶ προσαγαγόμενος φιλῆσαι, καὶ παρ' αὐτὸν καθίσαι· καὶ τοῖς μὲν συμπαίζειν αὐτὸς, λέγων Ἀσκός, Πέλεκυς.* Deinde quomodo pauperrimus cliens, cui poeta vs. 141, ut aliis eiusdem generis hominibus, *pertusam laenam* tribuit, liberis suis viridem thoraca, quem ipse Manso elegantiorem vestem significare recte dicit, assemque rogatum, nec semel quidem, sed quoties ad mensam accesserint, dare potuit? Denique in constituta Mansonis sententia aliquid inepti ideo inesse videtur, quod poeta Trebium ita alloquatur: *Noli sperare, patronum tibi gratulaturum et munusculo aliquo laetitiam suam testaturum esse; si forte uxor tribus puerulis te uno partu beaverit.* Enimvero pauper cliens se non beatum senserit tribus puerulis uno partu ab uxore donatum, neque idcirco laetitiam patroni exspectaverit. Una illa particula *nunc*, in qua summa Mansonis reprehensio aliarum sententiarum nititur, movere potest aliquam dubitationem, quum *nunc* non veras, sed cogitatas tantum divitias exprimat: at non intelligo, cur non poetae, etiamsi repentinae Trebii divitiae fictae sint, dicere liceat: si uxor tua *nunc* i. e. in hac divitis conditione, quam sola cogitatione sumimus, vel tres liberos pariat. Recte iam Britannicus verba cepit. Si tu, haec est

Iuvenalis sententia, repente dives factus fueris, quamvis antea contemtus, in amicitiam eius pervenies; *quantus Virronis amicus?* adeoque in eum dominaberis, simulac liberos non habeas. Verum quum iam locupletatus sis, nec liberorum procreatio eripiet tibi eius familiaritatem: uxor tua vel tres pueros simul pariat, parvulis delectabitur Virro, iisque, si blandientes ad eum, dum apud te coenat, accesserint, vestimenta afferri iubebit, nuces et numulos ad crepundia emenda dabit.

SATIRA V, vs. 146—148.

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino, sed quales Claudius edit
Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.

Ultimis duobus versibus unus interpretum Iuvenalis doctus ceteroquin et sobrius, Heineckium dico, offendit, antea Schurtzfleischius, qui eos contra poetae mentem in hunc modum ordinandos curavit:

Boletus domino, fungi ponentur amicis
Vilibus ancipites, seu quales Claudius edit.

Viro illi primum inepte dicta videntur: *sed quales Claudius edit ante illum*, quum neminem inveniri credat tam temerarium, qui sibi coenae auctori cibos venenatos iubeat apponi. Neque verba

post quem nil amplius edit

vituperationem eius effugerunt. Recte quidem, quemadmodum sibi omnia cogitavit: at poetae mentem non percepit. Nimirum singularis et multa et attentiore lectione cognoscenda satirici poetae consuetudo, qua

medio orationis cursu res alienae, et longe quidem a nostra cognitione perfecta sensuque disiunctae, at Romanis intellectu perfaciles et iucundae lepide immiscentur, tam vehementer saepenumero fefellit criticos, ut opera eorum, quam in verba aut explicanda, aut corrigenda impenderint, perversa et praepostera merito dicenda sit. Huc pertinent versus notati, qui, nisi tali modo explicati, sententiam profecto inanem reliquisque verbis inconcinnam habeant. Boletus enim Claudii haud dubie tum in conviviis, tum in circulis Romae in ore omnium versabatur, et iucundum esse debebat Romanis, si eiusdem rursus, data occasione, in aliis poetarum carminibus, vel in satiris mentio fieret. Ad hanc sententiam certe paene eadem Martialis verba libr. I, epigr. XX ducunt, ubi fatalem Caeciliano coenam imprecatur.

Dic mihi, quis furor est, turba spectante vocata,
Solus boletos, Caeciliane, voras?
Quid dignum tanto ventre gulaque precor?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Aliam praeterea boletus iste et iocandi et irridendi materiam dedit Romanis. Sic Dio Cassius narrat: *Ἀγριππίνα καὶ ὁ Νέρων πενθεῖν προσεποιοῦντο, ὃν ἀπεκτόνεισαν, ἔς τε τὸν οὐρανὸν ἀπήγαγον, ὃν ἐκ τοῦ συμποσίου φοράδην ἐξενηνόχεσαν· ὅθεν περ Λούκιος Ἰούνιος Γαλλίων, ὁ τοῦ Σενέκα ἀδελφός, ἀστειότατόν τι ἀπεφθέγξατο· συνέθηκε μὲν γὰρ καὶ ὁ Σενέκας σύγγραμμα, ἀποκολοκύντωσιν αὐτό, ὥσπερ τινὰ ἀπαθανάτισιν ὀνομάσας· ἐκεῖνος δὲ ἐν βραχυτάτῳ πολλὰ εἰπὼν ἀπομνημονεύεται· ἐπειδὴ γὰρ*

τοὺς ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ θανατουμένους ἀγκίστροις τισὶ μεγάλοις οἱ δήμιοι ἕς τε τὴν ἀγορὰν ἀνεῖλκον, κἀνταῦθ' ἐς τὸν ποταμὸν ἔσυρον, ἔφη τὸν Κλαύδιον ἀγκίστρῳ ἐς τὸν οὐρανὸν ἀνενεχθῆναι. Deinde iterum Iuvenalis Claudii necem commemorat Sat. VI, vs. 620—23.

Minus ergo nocens erit Agrippinae
Boletus, siquidem unius praecordia pressit
Ille senis tremulumque caput descendere iussit
In coelum et longam manantia labra salivam.

quae verba Barthius in Adversariis, a Ruperto aliisque neglectus, optime ex mea sententia explicavit. „Quid minus, inquit, sperabatur, quam dicturum in coelum, postquam descendere iam fuisset auditum? Et hoc acumen insigne est, quod nulla omnino Gratiarum in consilium adscita voluit mutare et *escendere* hic contra omnes libros et interpretes reducere Hieronymus Groslatius, acutissimus alioquin coniector, in epistola 88 Philologicarum a Goldasto editarum: sed supersedeamus pluribus defendere, quod nemo, qui perspicere voluerit, infestaverit. Belle vero intellexit hanc Apotheoseos Claudianae irrisionem Scholiastes priscus a Petro Pithoeo editus, cum scripsit: in coelum: *Irridens, pro ad inferos, et Apotheosin deridet, Deum fecit Imperatorem.* Tria postrema verba eo loco sunt alterius glossatoris. In mea bibliotheca est manu exaratus eiusdem Iuvenalis commentarius, in quo Senecae libellus ad hunc locum citatur hoc pacto: *Descendere iussit, Seneca scribit Claudium primum ascendisse in coelum, sed eundem communi Deorum decreto deie-*

ctum ad inferos. Idem ad Statii Silv. lib. III, silv. 3, vs. 77.

Nondum stelligerum senior demissus in axem
Claudius.

ubi Iuvenalis versus afferens haec dicit: Alluditur ibi Apotheosis hominis fatui, in coelum quidem ascendere iussi, sed descendentis ad inferos: et nihil acutius dici potuit vel a Seneca, qui tamen libellum super eo negotio suum facile ipsi Momo salium approbaverit. Et omnino male, qui aliter citant, aut explicant verba Iuvenalis, quod factum memini a Stephano Claverio ad Claudian. pag. 126, Hieronymo Groslatio et Io. Grutero lib. II, Suspicion. cap. XIV." Plinius Panegyr. c. XI: *dicavit coelo Claudium Nero, sed ut irrideret.* *Τοὺς γὰρ*, dicit Dio Cassius l. l., *μύκητας, θεῶν βρῶμα ἔλεγεν εἶναι· ὅτι καὶ ἐκεῖνος διὰ τοῦ μύκητος θεὸς ἐγεγόνει.* Salsissima Senecae irrisio in libro *ἀποκολοκυντώσεως* est, in qua Claudius non inter deos, sed inter cucurbitas refertur: quod nomen Schneiderus in lexic. gr. germanice sic vertit: die Aufnahme unter die Kürbisse oder Schaafköpfe. Vide quoque Passovii lexicon.

Ut hoc poetae aevo exortum est, ita aliud Sat. XIV, vs. 296.

Nec tibi parcetur misero trepidumque magistrum
In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.

quod interpretes ad historiam quandam temporis allu-

dere dicunt, inveteratum et Graecis iam notum est. Aristophan. Ran. vs. 1468 sq.

Οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν·
Ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.

ibique interpretes. Theocritus idyll. V, vs. 35—38.

μέγα δ' ἄχθομαι εἴ τυ με τολμῇς
Ὄμμασι, τοῖς ὀρθοῖσι ποτιβλέπειν, ὃν ποκ' ἐόντα
Παῖδ' ἔτ' ἐγὼν ἐδίδασκον· ἴδ' ἃ χάρις ἐς τί ποθέρπει.
Θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας, ὥς τυ φάγωντι·

ad quae scholiastes dicit: *παροιμία ἐπὶ τῶν καθ' αὑτῶν ποιούντων τι. ἀπὸ Ἀκταίωνος, τοῦ ὑπὸ ἰδίων κυνῶν βρωθέντος. Τάσσεται δὲ ἐπὶ τῶν ἀχαρίστων τοῖς εὐεργέταις.* Raderus ad Martial. Spectacul. epigr. IX in eandem rem laudat incerti fragmentum:

Τὸν λύκον ἐξ ἰδίων μαζῶν τρέφω οὐκ ἐθέλουσα,
Ἀλλά μ' ἀναγκάζει ποιμένος ἀφροσύνη,
Αὐξήσεις δ' ὑπ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ παλιθηρίον ἔσται·
Ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται.

Apud Alciphr. III, 24. *λύκον ἔοικα τρέφειν*, et vide Ruhnken. ad Timaeum p. 250.

SATIRA V, vs. 152—154.

Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit,
Qui tegitur parma et galea metuensque flagelli
Discit ab hirsuta iaculum torquere capella.

Hoc loco iis assentior, qui sub hirsuta capella centurionem, tirones in aggere praetorianorum castrorum

armis exercentem, intelligunt: quem poeta a facie hirsuta capellam facete vocat. Centuriones nimirum pilis toto corpore horrebant, quo militibus horribiliores fierent. Persius sat. III, vs. 77. *Hic aliquis de gente hircosa centurionum Dicat.* Et quos ad hanc explicationem stabiliendam adhiberi oportet, duo sunt apud Ammianum Marcellinum loci, unde nomen capellae in conviciis de homine hirsuto, inculto et deformi usurpatum elucet. Libr. XVII, c. 12 narrat milites Julianum hirsutum carpentes clamare solitos: *In odium venit cum victoriis suis capella, non homo.* Idem lib. XXIV, c. 8. *Captivos graciles et macie iam confectos iussit in medium duci, nostrosque respiciens: En, inquit, quos Martia ista pectora viros existimant, deformes illuvie capellas et tetras.* Vid. Forcellin. s. h. v. *Agger* intelligendus est, ut iam dictum, de aggere praetorianorum castrorum, quorum in vicinia secundum inscriptionem Gruteri pag. 651, n. 11. *M. P. Carfidio Signino Pomario de aggere a Proseucha Q. Sallustius Hermes* pomarium erat, cuius poma milites comedisse ex h. l. apparet. Vide Argolium in Graevii thesaur. tom. IX, pag. 418. Etiam flagellum in nostram explicationem quadrat, i. e. vitem centurionis: nam sarmenta et virgae, quibus in caedendo uterentur, flagella dicta sunt. Cf. Varronem de re rust. lib. I, c. 31. *Eiuncidum sarmentum non potest ex se eiicere vitem, quam vocant minorem, flagellum.* Columell. lib. IV, c. 4. *Nonnulli fructus avidius eliciunt, extrema et media flagella submittendo.*

SATIRA VI.

Vs. 8.

cuius

Turbavit nitidos exstinctus passer ocellos.

Turpavit, quod Schurzfleischius et Schraderus gonierunt, quum poetam Catulli verba lib. I, p. 18. *meae puellae Flendo turgiduli rubent ocelli* respexisse dicimus, ferri potest: quod tamen quum incertum sit, omnibus simul codicibus et antiquis libris *turbavit* tuentibus, non est, quod hoc cum altero temere commutetur. *Turbare* est nitidum, hilarem vultum, lacrimis obnubilare, tristem reddere: illud deformare, ut Sophocleum *νεφέλη δ'ὀφρύων ἐπὰ ἀμαυρόεν Ῥέθος διοχύνει τέγγουσ' ἐνώπια παρειάν.* Grangaeus bene comparavit h. l. *turbare* cum graeco *συγχεῖν ὄμματα*, die Augen umwölken, trübe machen: sic quoque *συγχεῖς* dicunt eodem sensu, quo *σκυθρωπός*, vid. Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 122. Valkenar. ad Hippolyt. p. 183. ad Phoeniss. vs. 1318. Lambin ad Horat. epist. lib. I, epist. 18, vs. 94. De metaphorico latini verbi usu conferas interpretes ad Virgil. Aen. lib. VIII, vs. 223. et, si plura de utriusque verbi discrimine subtiliter tractata legere cupias, adi interpretes ad Stat. Silv. lib. I, Silv. III, vs. 102. ibique doctam Handii quaestionem pag. 465.

SATIRA VI, vs. 19 sq.

Paulatim deinde ad superos Astraea recessit
Hac comite atque duae pariter fugere sorores.

Veteres glossae latino-graecae: Astraea, *πάρθενος δικαιοσύνη*, *ὡς Ἰουβενάλιος*, de qua, hominibus sub

Iovis imperio improbis irata, illeoque in coelum redeunte vid. Stat. Silv. lib. I, silv IV, vs. 2. ibique Barthium. Calpurnius eclog. I, vs. 42 sqq. Senec. Octav. vs. 422. Ovid. Metam. lib. I, vs. 150. Fast. lib. I, vs. 249. *Hac comite.* i. e. Pudicitia, cuius antea mentio fit. Commemorantur deinde duae fugientes sorores, quas Barthius in Adversa. pag. 1085. Pudicitiam fuisse dicit et Temperantiam, afferens Plutarchi testimonium: *ἡ δὲ Δίκη παρθένος ἐστὶ καθ' Ἡσίοδον ἀδιάφθορος, αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης καὶ ὠφελείας ἔνδικος.* Praefert tamen scholiastae explicationem, qui Astraeae Fidem iungit comitem, ut Ovidius l. l. *fugere pudor verumque fidesque: — et virgo caede madentes, Ultima coelestem terras Astraea reliquit.* Idem ad haec Iuvenalis verba recurrit ad Stat. Theb. lib. XI, vs. 463, tom III, p. 1367. sententia pribri mutata. Vetus commentarius, inquit, manuscriptus: *Hac comite — Pudicitia, de qua loquitur hactenus. Duae sorores sunt Pietas et Fides.* Optime. Et melius quam Pithoeana, sive Scaligeriana potius collectanea, quae aiunt: *Duae pariter fugere sorores — Pudicitia et Fides.* Quum Pudicitia certe illis verbis designetur, *Hac comite.* De Astraea ipsa et eius comitatu pulcra sunt, quae notat doctissimus Petrus Faber commentario de iustitia et iure." Mea sententia duae sorores eaedem sunt Astraea et Pudicitia, quia alia praeter has non est commemorata, modo *atque*, prae eunte Ruperto, per *et sic* explices.

SATIRA VI, vs. 21—24.

Antiquum et vetus est alienum, Posthume, lectum
Concutere atque sacri genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit aetas:
Viderunt primos argentea saecula moechos.

ubi Schradero in Emendatt. libr. VII, p. 139, 140. ultimis verbis traiectis, legendum videtur:

Viderunt primos argentea saecula moechos.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit aetas.

At antiquus horum versuum ordo in omnibus libris praeter unum, quem Rupertus contulit, sed nullius auctoritatis, conservatur. Nihilominus tamen Heineckius veram nuncupat hanc traiectionem, profecto non admittendam, si poetae dicendi consuetudinem attendas. Nimirum iustus sententiarum ordo apud Iuvenalem interdum desideratur; quae tamen perturbatio hoc loco facillime ferri potest, dummodo quod Achaintrius iam vidit, ante verba *Viderunt primos* particulam *sed*, a poetis frequenter omissam, ut sat. VIII, vs. 115, cogitatione suppleas. Idem porro Heineckius spurium contendit esse versum:

Viderunt primos argentea saecula moechos.

ex antecedentibus verbis a grammatico consutum, quorum in eo nihil nisi mera ad sententiam repetitio contineatur. Hoc quidem verum est, sed versus iste inter eos pertinet, quibus sententiae antea longius et diversis locis expositae breviter et uno loco per figuram, quam rhetores *ἀνακεφαλαίωσιν* dicunt, eo consilio repetuntur, ut omnia perspicua sint, omnia lectoribus

vel auditoribus quasi inculcentur, ac vis quaedam dictis afferatur: quo poetae studio cognito nec possunt nec debent eiusmodi versus, etsi eos, si absunt, nemo desiderabit, ex reliquorum numero deleri. Cf. Sat. XIII, vs. 334. *Ploratur lacrimis amissa pecunia veris.* Sat. X, vs. 323. *Deterior totos habet illic femina mores.* Sat. VI, vs. 97. *Fortem animum praestant rebus, quas turpiter audent.* Satir. VII, vs. 137. *convenit illis Et strepitu, et facie maioris vivere census.* In horum igitur numero ille versus ponendus est: quod enim sub Iovis imperio, et Astraea terris abeunte, fieri solebat, ut alienum lectum adulteriis violare et iura matrimonii contemnere, antea enarrat poeta, sed hoc loco eos ipsos, quos ex factis suis describit, breviter comprehendit nomine.

SATIRA VI, vs. 55 sqq.

Omnes mulieres in urbe viventes castitatem exuisse queritur poeta. Iam pergit:

Magna tamen fama est cuiusdam rure paterno
Viventis: vivat Gabiis, ut vixit in agro,
Vivat Fidenis, et agello cedo paterno.
Quis tamen affirmat, nil actum in montibus, aut in
Speluncis? adeo senuerunt Iuppiter et Mars?

Ita etiamnunc legendum esse censeo. Nam neque Ruperti, neque Mansonis explicationem probo, multo minus huius mutationem particulae *et*. Recte uterque contendit, versum 57 totum languere, si quidem, ut opinor, non alia eius instituatur interpretatio. Etenim verba: *et agello cedo paterno* eundem habent sen-

sum, ac nos dicimus: und ich setze mein väterliches Gütchen, mein Erbtheil daran. *Cedere* praeter forensem usum, ut *foro cedere*, *cedere bonis*, illa quoque significatione invenitur. Sueton. vit. Neron. c. 35. *Senecam praeceptorem ad necem compulit: quamvis saepe commeatum petenti, bonisque cedenti, persancte iurasset, suspectum se frustra, perieturumque potius quam nociturum ei.* Sententia igitur haec est: Fortasse mulieres rure adhuc pudice vivunt, sed vivant Gabiis et Fidenis quamvis parvis et desertis, et si castitatem ibi, ut illic, servarint, dimittam, tradam paterna bona. Ad extremum id, quod antea concesserat, correxit: praeterea quis affirmat, illam in agro nihil fecisse impudici?

SATIRA VI, vs. 99.

Tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aër.

Recte Grangaeus ultima verba de tempestate, quam uxor, ne cum marito naviget, impendere dicit, interpretatur, et falsa eorum sententia est, qui ea de mentis oculorumque vertigine intelligunt. Cf. Propert. lib. II, eleg. V, vs. 12. *Nec dubio nubes vertitur atra noto*, quem Grangaeus attulit. Veram esse hanc explicationem, docet praeterea in sequentibus vss. oppositorum ratio:

Quae moechum sequitur, stomacho valet. Illa maritum
Convomit: haec inter nautas et prandet et errat
Per puppem et duros gaudet tractare rudentes.

Nam in hac utriusque mulieris comparatione verba *et errat Per puppem et* seqq. ad illa vs. 99. *tunc summus*

vertitur aër refero, quia poeta dicit, illam, quae moechum comitetur, non timere tempestatem, adeoque ea aborta inter nautas per navem errare iuvaturam.

Obiter Rupertum etiam eam ob causam vituperare velim, quod vocabulum *prandet* propria significatione, quae hic adhibenda non est, cepit. Est h. l. idem, quod coenare, sicuti apud Pers. sat. I, vs. 67. *prandium* latiori sensu reperitur.

SATIRA VI, vs. 107—109.

sicut
Adtritus galea mediusque in naribus ingens
Gibbus et acre malum saepe stillantis ocelli.

Versu 109 libri inter *semper* et *saepe* discrepant, et prius illud, altero spreto, quod tamen sanissimum esse arbitror, in editionibus receptum videmus. Commutatio utriusque vocabuli in libris frequentissima est, cf. sat. X, vs. 244, Schrader. Emendatt. pag. 14, et mutati *saepe* causa h. l. duplex videtur esse; altera, quod syllabam finalem per sè brevem litteris st sequentibus produci non posse existimaverint, memores eius generis locorum, ut Horat. sat. I, sat. II, vs. 71. *velatumque stola.* lib. I, sat. III, vs. 44. *non fastidire strabonem.* lib. II, sat. III, vs. 43. *Quem mala stultitia.* lib. I, sat. II, vs. 30. *in fornice stantem;* altera, quod *semper* cum verbis *ocelli stillantis* coniunctum magis adaugeat hominis deformitatem. At vero et producitur *saepe* sequentibus consonis, et quod particula *semper* significari voluerunt, idem reiecta illa exhibet. Nam *saepe*, ut Cl. Handius ad Stat. pag. 275 osten-

dit, usurpatur Graeci πολλάκις more non tantum de re non semel facta, sed etiam maiorem vim rei indicat, ut sit *sehr oft*, *vielmals*, *unablässig*. Vide Propert. lib. I, eleg. 8, vs. 16. *infesta saepe vocare manu*. Hinc *graviter*, quod in uno codice legitur, huius glossa videtur, et Iacobsii coniectura *foede* non minus supervacanea est, ac Burmanni Horat. Od. lib. II, od. X, vs. 9. *Saepius ventis agitur ingens pinus*, qui *saevius* scribi iussit.

SATIRA VI, vs. 115—132.

Respice rivales divorum: Claudius audi
Quae tulerit. Dormire virum quum senserat uxor,
Ausa Palatino tegetem praeferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,
Linquebat, comite ancilla non amplius una,
Et, nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar
Et cellam vacuam atque suam.

Non respectis aliorum tum coniecturis, tum interpretationibus, verba statim ita, ut optimum duxi, et distinxi et scripsi. Maximopere Mansonis displicuit emendatio et inde sequuta versuum transpositio. Quidnam audacia iuvat, ubi summa cautione opus est? Versuum ordinem si commutare velimus, ante omnia fons et origo perturbationis demonstranda est. Neque assentior Ruperto, orationem scabram dicenti et hiulcam. Deest sane ante *sumere* copula, cuius tamen defectu apud Iuvenalem non offendimus: in deinde imperfectum circumdatum est perfectis, quod ipse Rupertus excusat.

Quod vero *linquebat*, quo aperte referendum sit, nihil habet, nos non potest eo perducere, ut orationem valde laborare contendamus. Adeo verborum ambitus docet, illud ad nihil, nisi ad *virum*, pertinere: nam si versus illos, qui quo magis et Claudii contumelia, quum praesertim verba *Respice rivales divorum* antecedant, et tetra Messalinae libibido efferatur, inserti sunt, omittimus, vel, ut ab aliis iam factum est, parentheseos signis includimus, optime procedit oratio. Poteris etiam, si placet, ex verbis *Palatino tegete* ipsum Palatium sumere, ut cum *linquebat* coniungatur: cuius rei multa, praesertim apud Graecos, inveniuntur exempla. *Rivales divorum* sunt Caesares, qui quodammodo deorum aemuli habebantur, proxime vero ad Claudii apotheosin spectat poeta. Versu 120 Ruperti interpunctionem mutavi, retenta tamen ab initio particula *sed*, quod inconsulto a me factum est. Locum particula adversativa obtinere posset, si sententia haec esset: Messalina, comite una ancilla ad lupanar ivit, sed ancilla ante fores relicta, intravit cucullis demissis, et Lycisçae cellam haud secus, ac suam occupavit. Equidem nunc scribendum putaverim *et*, quod non minus in multis Codd. reperitur.

Quae h. l. de foeda Messalinae libidine leguntur, eadem, sed fusius narrat Dio Cassius lib. LX, c. 31. *τά τε γὰρ ἄλλα ἰσχυρῶς ἔπραττε, καὶ ἐπ' ὀικήματός ἐστιν ὅτε ἐν τῷ παλατίῳ αὐτή τε ἐκαθέζετο, καὶ τὰς ἄλλας τὰς πρώτας ἐκάθιζε.* ibique Reimar. cf. c. 18. et c. 14., ubi eam *πορνικωτάτην καὶ ἀσελγεστάτην* nominat. cf. Plin. lib. X, c. 63. Sueton.

vit. Claud. c. 26. et Tacit. Histor. lib. XII, c. 7. Ex illis Dion. Cassii verbis lupanar in Palatio fuisse comperimus, idem, quod Iuvenalis h. l. intelligere videtur, et Claudius quaestus causa constituit. Ad quod quum eius uxor noctu migraret, flavo galero, quo magis placeret viris, usa est: nam flavi capilli multis in deliciis erant, et multos alliciebant, (Ovid. Fast. lib. II, vs. 763. *Forma placet, niveusque color, flavique capilli.* Heroid. XX, vs. 57. *Hoc flavi faciunt crines et eburnea cervix.*) priori tempore heroum et heroinarum ornamenta, seriori puellarum, et, ut fieri solet, vel matronarum. Servius quidem ad Virgilium dicit: *matronis numquam flava coma dabatur, sed nigra, Didoni ergo dat, ut turpi.* et vetus scholiastes Iuven. ad h. l. *Crine supposito rotundo muliebri capitis tegumento, in modum galeae facto, quo utebantur meretrices. Nigro nam crine matronae utebantur.* At haec ex parte tantum vera non in omnia tempora quadrant, quia flavi crines sub imperatoribus honestiorum facti sunt. Vid. Lips. ad Tacit. German. c. 4. Boettiger. Sabin. p. 139. 140. de *galero* Casaubon. ad Sueton. Oth. c. 12. Rader. ad Martial. lib. XII, ep. 36, p. 813. Gerh. Ioan. Voss. in etymologic. s. v. galer. et Boettiger. Sabin. pag. 140.

Vs. 123. offendentes quidam in *constitit*, tamquam rei, quae hic indicatur, non usitato verbo, posuerunt vulgare *prostitit*. Quamquam Romani de meretricibus *prostare* et *stare* vulgo utuntur, tamen illud praetulit Iuvenalis, utpote sententiae, quam exprimere vult, accommodatius. *Constitit* enim significat *stetit simul, una cum aliis*, et res ipsa non solum h. l., ubi alias

commemorantur, sed etiam Dion. Cass. lib. LX, c. 18. et Plin. Hist. nat. lib. X, c. 63. confirmatur.

SATIRA VI, vs. 147.

Iam gravis es nobis et saepe emungeris, exi:
Ocius et propera: sicco venit altera naso.

Quod Heinsius ad Claudian. Cons. I. Stilic. II, vs. 327. ex uno codice reposuit *ut saepe emungeris*, quasi detestaretur libertus ipso gestu hanc foeditatem, pessimae est notae, ut vehementer mirer, quomodo ei Rupertus suum *non male* tribuere potuerit. *Iam gravis es nobis* i. e. fastidiosa, quia pituita es, mucore plena: haec enim *saepe emungeris* antecedentium verborum explicationem continent. Nam nihil magis Romani aspernabantur, quam et exspuendi et emungendi frequentiam, ita ut haec praecipua inter alias divortii causa esset. Vide Scaliger. in Coniectan. pag. 147. ed. Stephan. et Burmann. ad Petron. c. 44. Hinc sibi Palaestrio apud Plautum Mil. glorios. act. III, sc. I, vs. 189. poscit puellam *siccam, succidam. Quam lepidissimam potes, quamque adolescentem maxume.* Cf. Catull. carm. 43.

SATIRA VI, vs. 153 sqq.

Mense quidem brumae, quo iam mercator Iason
Clausus et armatis obstat casa candida nautis,
Grandia tolluntur crystallina,

Reinesius, cuius notae in Iuvenalem in editione bibliothecae Zizensis inveniuntur, verbis scholiastae margini adscriptis, „Hanc rem, inquit, melius intelliges ex Panvini de XIV urbis Rom. reg. f. 180, qui de thermis

Traiani et Agrippinis, picturaque ea multa notabilia habet. Britannicus hunc locum non intellexit, quum explicat de marito, qui etiam tempore hyemali, quum mercator (Iason pro omni mercatore) clausus est, i. e. domi se continet, et quum candida casa obstat i. e. casa navibus candicans, quae indicat hyemem acrem, nautis ad navigandum instructis, uxore imperitante, navigabit." Ex hac Britannici vituperatione virum doctum Iuvenalis verba intellexisse manifestum est, sed in descriptione urbis Rom., quam laudat, Onuphrii Panvinii nihil invenio, quod explicationi huius loci inserviat. Fortasse alium librum in animo habuit, certe descriptiones urb. Rom. in Graevii thesaur. t. III, collectae, Argonautarum picturam in Agrippae porticu erectam commemorant. Verum omnem lucem, quam Lenzius in Annal. litt. Goth. an. 1802, p. 262. verbis accendit, scholio, quamquam ex parte obscuro, nec tamen perplexo, debemus. De porticus illius origine narrat Dio Cass. lib. 53, c. 27. *Ἀγρίππας τὴν στοὰν τὴν τοῦ Ποσειδῶνος ὀνομασμένην καὶ ἐξῳκοδόμησεν ἐπὶ ταῖς ναυκρατίαις καὶ τῇ τῶν Ἀργοναυτῶν γραφῇ ἐπελάμπρυνε.* cf. Reimar. ad h. l. Erat ibi Argonautarum historia Colchidem ad rapiendum aureum vellus petentium depicta, et quemadmodum Iuvenalis, ut Agrippae porticum indicet, picturam in ipsa collocatam, et quidem Iasonem illorum heroum principem, ideoque, quantum opinari licet, prae ceteris in tabula insignitum nominat, ita etiam Martialis eundem tamquam partem pro toto, ut dicunt, duobus locis effert. Epigr. lib. II, ep. 14.

Si nihil Europae fecit, tum septa petuntur,
Si quid Phyllirides praestet, et Aesonides.

Aesonides, filius Aesonis, i. e. Iason, et Phyllirides a Phyllire procreatus, i. e. Chiron, uterque inter Argonautas poetarum fabulis celebratissimus. Simul etiam inde videmus, porticum illam septis propinquam fuisse. Alter locus lib. IV, ep. 1. exstat:

Turbam non habet otiosiorem
Pompeius, vel Agenoris puella,
Vel primus dominus levis carinae.

Praeter picturas, quibus ambulantes ibi delectabantur, Martial. lib. III, ep. 20.

An spatia carpit lentus Argonautarum?

porticus etiam varii generis merces continebant, inque iis homines negotiorum componendorum causa versabantur. In Agrippae porticu per tempus Sigillariorum, quae ultima Saturnalium pars in mensem Decembrem i. e. in brumam incidebant, mercatores cāsas, rebus cuiusvis generis et pretii, imagunculis, vasis aliisque exornatas, linteo obductas et parietibus sic adclinatas habebant, ut picturae Argonautarum, ut Iasonis, eiusque comitum armis exstructorum, obtectae oculis spectatorum eriperentur. *Mercatorem* poeta Iasonem nominat, quia expeditionem Argonautarum lucri causa, propter quod mercatores navigant, institutam putabat.

SATIRA VI, vs. 157—160.

hunc dedit olim
Barbarus incestae, dedit hunc Agrippa sorori,
Observant ubi festa mero pede sabbata reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

De Berenice incesta et adamante, quem illa a fratre Agrippa acceperat, in Baylii lexico t. I, s. n. Beren. copiose et docte disputatum est, ac multos errores, quibus vetus scholiastes et recentiores quidam interpretes aliique impliciti erant, ibi iam refutatos invenies.

Ut Iuvenalis Iudaeam, ubi Berenice versabatur, describeret, duos illius terrae ritus animadvertit, qui Romanis miri esse debebant, quosque hac occasione deridet. Et quidem ad priorem perstringendum, quamquam idem Romae etiam aliunde notus esse potuit, certe tamen Berenices videtur commemoratione commotus fuisse, de qua Iosephus bell. Iudaic. lib. II, c. 15. haec narrat: *ἐπεδήμει δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, εὐχὴν ἐκτελοῦσα τῷ Θεῷ· τοὺς γὰρ ἢ νόσῳ καταπονουμένους, ἢ τισιν ἄλλαις ἀνάγκαις, ἔθος ἐὐχεσθαι πρὸ τριάκοντα ἡμερῶν, ἧς ἀποδώσειν μέλλοιεν θυσίας, οἴνου τε ἀφέξεσθαι, καὶ ξυρήσασθαι τὰς κόμας — ἃ δὴ τότε τελοῦσα Βερνίκη, γυμνόπους τε πρὸ τοῦ βήματος ἱκέτευσε τὸν Φλῶρον, καὶ πρὸς τὸ μὴ τυχεῖν αἰδοῦς αὐτήν, τὸν περὶ τοῦ ζῆν κίνδυνον ἐπείρασεν.* quae quidem res, quum milites Romani illam Hierosolymis supplicantem vidissent, ad Iuvenalis aures percrebrescere potuit. Verum cave, ne poetam nomine sabbatorum nudipedalia, aut alios dies festos, eosque certos significasse putes: ea potius quaecumque Iudaeorum festa, quibus templum adeuntes sacra nudis pedibus peragere solebant, comprehendunt. De latiori sabbati vi vid. Forcellin. lexic. s. h. v. et de ritu illo Carpzovii libr. de discalceatione in loco sacro. Byneum de calceis Hebr. libr. II, c. 2 et 3.

Lundii Antiquitt. Hebr. p. 418, n. 4, p. 880, n. 8. Itaque nec potest satirographus, etsi Romanos parum rebus Iudaeorum attendisse constat, hac in re imperitiae coargui. Cf. Casaubon. ad Sueton. Aug. 76, Lips. ad Tacit. Hist. lib. V, c. 4.

Reges, qui h. l. sabbata observasse dicuntur, noli pro sacerdotibus habere: nihil obstat, quominus eos proprio significatu intelligamus, quia quum moris esset apud Iudaeos sine calceis templa intrandi, reges ab hoc ritu non exemtos fuisse verisimile est, adeo ipsius Berenices exemplum, ex regia gente oriundae, contrarium docet.

In proximis, quae ad Iudaeorum a carne suilla abstinentiam pertinent, cuivis hoc mirum videri debet, quod eos poeta senibus porcis indulsisse dicit, quum nullis omnino vescerentur. Prolepsis h. l. statui potest, cuius lege verba *senibus porcis indulget* sic explices: *porcis indulget, ut senescant*, ut apud Propert. lib. I, eleg. 2, vs. 9. *adspice, quos submittat humus formosa colores*. i. e. *ut terra formosa sit*. Virgil. Georg. lib. II, vs. 353. ubi *hiulca siti findit canis aestifer arva i. e. ut hient, hiulca sint*. Catull. c. 63, vs. 271. *Zephyrus proclivas undas incitat i. e. ita ut proclivae fiant*. Tibull. lib. I, eleg. 8, vs. 51. *timidum*, i. e. *ut timidus sim*. Illustrant hunc poetarum usum. Mitscherlich. lectt. in Catull. pag. 121. Ouwens Noctt. Hagg. pag. 371 sq. Wunderlich. ad Tibull. lib. I. eleg. 3, vs. 51. Observatt. p. 73. Werfer actis philol. Monac c. t. I, p. 266. et de participiis Wagner in biblioth. crit. an. II, 10, pag. 854.

Si vero multo acerbiorem et maiore sale conditam iis inesse censeas sententiam, quod quidem in tanto Romanorum adversus Iudaeos odio a poeta satirico exspectandum est, praesertim quum gentem illam hic obiter tangat, equidem hanc obscure quidem, sed facete indicatam subodoror: „Iudaeorum clementiam in eo cerni, ut senibus porcis indulgeant, sed senes homines contemnant.“ Erunt fortasse, qui hanc explicationem nimis quaesitam et iusto subtiliorem dicant, sed ii meminerint, talia in poeta satirico nec rara esse, nec offensioni. Praeterea Iuvenalis eam ipsam innuere videtur et prudenti verborum electione et collocatione. Nam posito v. *senibus* quis exspectet additum iri *porcis*? Quod vero quia praeter exspectationem sequitur, risum necessario movet. Cogites enim versum sic scriptum: *Et vetus indulget senibus clementia — porcis.* Sed quod maxime ad interpretationem stabiliendam conferre videtur, sunt Taciti verba Histor. lib. V, c. 5. ubi de Iudaeis loquitur: *nec quidquam prius imbuuntur, quam contemnere deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres, vilia habere.*

SATIRA VI, vs. 163.

intactior omni
Crinibus effusis bellum dirimente Sabina.

Sabinarum castitas, ut hic obiter, sic ab aliis saepissime laudatur, at veterum, quae infestas Tatii et Romuli acies dirimere ausae sunt. Ovid. Amor. lib. I, eleg. 8, vs. 39 sq. *Forsitan immundae, Tatio regnante, Sabinae Noluerint habiles pluribus esse viris.* Martial. lib. I, epigr. 63, vs. 1. *Casta nec antiquis cedens Lucrina Sabinis.* ibi

que Raderus. Vox *intactior* visa Markl ando ad Stat. lib. II, silv. 3, vs. 73. corrupta, quia illae matres, ideoque tactae fuissent, ab eo, simul scholii adnotatione confiso, in *sit castior* mutata est. Sed scholiastes hoc tantum sibi vult, *intactior* idem esse, quod *castior*. Fuerunt quoque, qui optimo iure emendationem reprehenderent, Wernsdorfius in poet. lat. min. t. II, p. 90. alia proposita interpretatione, et Heineckius subtiliori distinctione et exquisita doctrina. Quatenus Romanarum mulierum pudicitia potissimum in eo cernebatur, ut a nemine, nisi cui et quando ius esset, se tangi paterentur: hinc propria verbi *intactus* vis, etymologia non amplius respecta, in communem casti notionem abiit. Vide Barth. ad Calpurn. eclog. II, vs. 1. Quare hic Iuvenalis locus corrigendus non erat, sed potius ad firmandum hunc usum adhibendus, sicuti etiam Stat. lib. III, silv. 5, vs. 8. *tu mille procos intacta fugares.*

Vs. 165. proverbium habemus de raris usurpatum rebus, ut a Graecis λευκὸς κόραξ, Lucian. Ep. XXII. Σᾶττον ἦν λευκοὺς κόρακας, πτηνάς τε χελώνας εὑρεῖν, ἢ δόκιμον ῥήτορα Καππαδόκην. Vid. Iacobs. ad Anthолog. t. III, p. I, p. 322.

SATIRA VI, vs. 172 sq.

Parce, precor, Paean, et tu depone sagittas,
Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem:
Amphion clamat:

Misere irrepsit, nescio quo casu, Graevii coniectura in textum, etiam a Ruperto recepta: sed recte sensit Heineckius, gravissimus antiquae scripturae defensor, etiam-

si centum Ruperti contradicant. Priusquam enim illa, omnibus Codd. renitentibus, mihi probaretur, multo magis Grangaei sententia placeret, qui sub pronomine *tu* Dianam intelligit: quae quidem relatio quamquam ferri potest, modo Amphionem coram diis illis supplicantem cogites, tamen cum Heineckio malim eundem Apollinem ad eum dicendi modum notari, quem Bentleius ad Horat. libr. I od. IX, vs. 16. illustrat. Pluralis quidem *configite* sequitur, sed quum Amphion vehementissima animi commotione loquatur, facile excusandus, ita ut ne opus quidem sit auxilio illius usus, quo unus compellatur, reliqui autem adiecto plural. numero simul innuuntur. Vid. Heusing. ad Cicer. offic. lib. II, c. 11. et in praefatione pag. 47. de la Cerda ad Virgil. l. IX, vs. 525. Burman. ad Valer. Flacc. Argonaut. lib. VIII, vs. 194. Gronov de pecun. II, 48, p. 76. Quemadmodum enim pro configo, configamus pr. configam, noster pr. meus, vester pro tuus dici potest, ita etiam configite pro confige licet. Ovid. Heroid. VII, vs. 71. de Didone: *quidquid id est, totam merui, concedite, dicas.* Vide Werfer. Act. Mon. I, 4, p. 550.

SATIRA VI, vs. 188.

Omnia Graece,
Quum sit turpe magis nostris nescire Latine.

Barthius in Advers. lib. XXIV, c. 5. hunc versum inter spurios ponit, eiusque sententiam Rupertus, languore emendationibus non remoto, denique approbat. Cautior fuit H. Stephanus in dial. de bene instit. gr. l. studio p. 92. qui non delendo, sed corrigendo *quo*

pro *quum* locum adiuvare studuit. Quod versus iste in duobus Codd. non inveniatur, magis casui tribuendum putaverim, quam certae cuidam rationi. Eum a poeta ipso ortum esse, persuasum mihi est, modo ne gravia semper apud Iuvenalem, qui saepenumero aequales suos obiter perstringit, exspectes. Sententia verborum ea est, quam Achaintrius expressit, nisi potius membrum, quod comparatione innuitur, ita explere velis: quam Graece nescire loqui. Hoc modo multo gravius haberemus opprobrium, quod Romani non modo non latine, sed ne graece quidem callerent, quamquam Graeca affectarent.

Ad verba *nam quid rancidius* Reinesius animadvertit: mulieres sui temporis perstringit, quae ut viderentur balbae aemulatione Laidis verba graeca usurpabant, quibus etiam turpia immiscebant. Vide Persii sat. I, vs. 36. *rancidulum quiddam balba de nare locutus.* ubi de voce *rancidulus* cf. Passow.

Vs. 191. verba *concumbunt graece* non possunt aliter, nisi sic intelligi: *utuntur graeco sermone in concubitu.* Hoc contextus ratio et docet et postulat. Conferas etiam vs. 406, *quibus verbis concumbat quaeque, modis quot.* Martial. lib. I, ep. 68.

SATIRA VI, vs. 190—199.

His versibus plurimi interpretes obscuritatem et tenebras offuderunt: adeo Rupertus, aliorum vera partim explicatione adductus, non eam construendi et interpungendi rationem, quae antiqua videtur esse, induxit. Multo rectius Achaintrius versatus est, quod

interrogandi signum post ψυχή, quo oratio turbatur, sustulit, quamquam, quod posuit, semicolon malim in comma mutari, nam copula deest, vel, si placet, *quoties*, quod antecedit, cogitatione repetas. Maxime vero in vss. 197. et 200. erratum est: Rupertus particulam *ut* sic interpretatur, ac si *vereor* omissum sit, dicens: ut tamen omnes subsidant pennae h. e. vereor, ne tua voce non excitetur inguen s. libido, sed potius flaccescat: inde factum est, ut, quod etiam Achaintrio accidit, ante enunciationem *facies tua computat annos*, unde prima illa pendet, *nam* suppleretur. Grangaeus recte quidem verborum sententiam reddidit, sed dubito, an idem eorum coniunctionem intellexerit. Versus enim, quantum mihi videtur, ita interpungendi sunt:

non est hic sermo pudicus
In vetula, quoties lascivum intervenit illud
Ζωὴ καὶ ψυχή, modo sub lodice relictis
Uteris in turba. Quod enim non excitat inguen
Vox blanda et nequam? digitos habet. Ut tamen omnes
Subsidant pennae, dicas haec mollius Aemo
Quamquam et Carpophoro, facies tua computat annos.

Hanc scripturam ab Achaintrio non valde diversam esse, quisque videbit. Si codicis Hamburgensis lectionem *quid* pro *quod* respicimus, ea, simulatque ita scriptum fuerit

Quid enim? non excitat inguen
Vox blanda et nequam?

spernenda non est, praesertim quum sententia multo vividior nascatur. Attamen, quum aliorum codd. au-

ctoritas desit, in recepta subsistamus. Poeta nimirum mulieres Romanas ob inane graece loquendi studium, quod ipsas vetulas corripuerit, vituperat. Quapropter admonetur eiusmodi mulier, ut, quia octogenaria iam sit, desinat graece loqui, idque puellis potius condonet. Hic sermo, pergit, non decet anum, maxime si lascivioribus verbis blandiatur, et, quod pessimum est, eadem ad iuvenes vel alios alliciendos palam usurpet. Vs. 195. interrogatione instituta facete praeparantur sequentia. Turpem in vetulae ore istum sermonem dicas, hoc nihil impedit. Illa enim blandimenta non minus libidinem excitant, quam manus impudicae palpitatio. Sane si amatores nonnisi has voces audirent, indubitata tibi victoria foret, sed illi faciem tuam adspiciant, et ea rugarum seriem ostendet, ut quamvis mollius Aemo et Carpophoro loquaris, omnis tamen libidinis prurigo pereat. *Annos computare* h. l. est annos computando, rugas ostendendo efficere, sicuti plura verba praegnantem, quam dicunt, significationem habent. Ceterum verbo *computare* alludit ad morem digitis numerandi, cf. sat. X, vs. 219. ibique interpretes, cf. Gesner. in thesau. s. v. computare.

SATIRA VI, vs. 205.

quum lance beata
Dacicus et scripto radiat Germanicus auro.

Petr. Paulus Justus in Specim. obss. critic. ad hunc versum dicit: Pontanus scribit *et scutilo radiat Germanicus auro.* Quod ita Demstero arrisit, ut in suas ad h. l. adnotationes transscripserit, nulla Pontani inie-

cta mentione. „Sed et Pontanus et Demsterus ea confuderunt, quae distincta oportuit. Nam scutilum est non quod variegatum est, atque orbiculatum, sed tenue, macrum, macilentum. Vide Festum et Vossium Etymol. p. 631. Quod vero ut aranearum telae variegatum, retiforme atque orbiculatum est, id non scutilum, sed scutilatum dicitur, eo quod scutiforme sit, i. e. orbiculis constans. Unde scutulatae vestes. Qua de re adeundus idem Vossius Etymol. voce *Scutum* p. 531, et voc. *unda* p. 653. Prae ceteris vero consulendus eruditissimus Harduinus ad Plin. Hist. nat. lib. VIII, sect. 73. p. 475. tom. I. Ex quo patet, abuti Pontanum Plinii et Martialis locis, in quibus non scutilata et scutilato, sed scutulata et scutulato legitur. Apud Iuvenalem igitur nihil mutandum. Quum enim iuxta scholiastam agat de solidis novae nuptae pro virginitate deposita oblatis: solidos autem inscriptos esse nemo ignoret. Cur non eos scriptum aurum adpellet Iuvenalis, rationis nihil video. Sic scriptus lapis ap. Tibull. lib. I, eleg. III, vs. 53. Aurum autem pro numo aureo dici docet Salmasius ad Histor. Aug. p. 209. edit. Paris."

Commemorantur inter nuptialia dona numi aurei, in quibus Traiani imago cognomentis Dacici et Germanici splendebat. Interpretes ad h. l. omnes praeter Achaintrium, cui Cramerus ad scholiast. pag. 211. rectae nec ab ipso aliunde haustae interpretationis gloriam apud iniustos tantum eripiet, numos a Domitiano Dacorum et Germanorum victore cusos intelligunt, sed quamquam illum eo superbiae, ut numos ad ina-

nem suam victoriam honorandam ederet, progressum fuisse credibile est, tamen eiusmodi, ut Francogallus monet, nulli nec inveniuntur, nec appellantur, plures vero Traiani, qui varias habent inscriptiones, modo Optimi, modo Dacici, modo Germanici. Vid. inscriptiones apud Mediobarbum pag. 151 sq. apud Fabrettum p. 274 sq. Rader. ad Martial. lib. XII, epigr. 8. Reimar. ad Dio. Cass. lib. 68, c. 10, pag. 1127. ubi plura, et cap. 3, pag. 1121. Quod si numi Traiani, quod non dubito, h. l. vere intelligendi sunt, licet inde colligi, hanc satiram post ann. 855. u. cond., vel id temporis, compositam fuisse.

SATIRA VI, vs. 246.

Endromidas Tyrias et femineum ceroma
Quis nescit?

Endromides vestimenta crassa et hirsuta erant, quibus Romani vel post certamina, vel post balneum, vel post pilae lusum et alias corporis exercitationes circumdati cavebant, ne ab una ad alteram, aut ad coenam properantes refrigescerent et valetudini nocerent. Erant igitur, prout in loco aliquo gestabantur, palaestricae, balneares aliaeque id genus vestes, sicuti etiam synthesin, sive vestem accubitoriam nihil differre a balneari ostendit Heinsius ad Petron. Satyr. cap. 30. Sed varium endromidis usum describit Martialis lib. IV, epigr. 14.

Dona peregrinam mittimus endromida:
Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona,
Sive harpasta manu pulverulenta rapis:

Plumea seu laxi partiris pondera follis:
Sive levem cursu vincere quaeris Atham.
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus:
Neve gravis subita te premat Iris aqua.
Ridebis ventos, hoc munere tectus et imbres.
Non sic in Tyria sindone tutus eris.

atque ex Iuvenale ipso Sat. III, vs. 103. manifestum fit, eam crassam omnino vestem fuisse, qua frigus arcerent. Qua de re hoc nomen inditum est huius generis vestimento, non quod ἐν δρόμῳ i. e. in palaestra, ut plurimi voluerunt, usui esset, sed quod eo amicti e palaestra et aliis locis currerent, non retenti cura se refrigerandi. Mirum quoque esset, si vocem, quae apud Graecos scriptores hac vi non usurpata, sed Romae sub imperatoribus primum, quo potissimum tempore homines molles Graeca imitari et appetere coeperunt, exorta est, aliter explicaremus, quum Graeci ipsi ἐνδρόμιδας haberent, sed calceamentorum quoddam genus, quo, quemadmodum Romani illo amiculo corpus contra frigidum coelum, sic venatores et cursores pedes contra spinas, lapides, alia inter eundum tuebantur. Pollux lib. III, c. 30, p. 155. ἀθληταῖς δ'ἂν προσήκοιεν καὶ ἐνδρομίδες· οὕτω δ'ἐκαλοῦντο τὰ τῶν δρομέων ὑποδήματα, cf. lib. VII, cap. 22, pag. 93. Vid. Spanhem. ad Callim. h. in Dian. vs. 16. Utebantur autem ea non solum viri, iique divites, ut ex Martial. lib. XIV, epigr. 126. apparet

Pauperis est munus, sed non est pauperis usus,
Hanc tibi pro togula mittimus endromida.

sed etiam, ut h. l., feminae, in palaestra sese exercentes. Addit Iuvenalis *Tyrias*, quae propter endromidis vim et naturam mira primo adspectu videtur compositio, sed gravis accuratius consideranti et egregie significans tum vanitatem, tum stultitiam illarum, quae, ut ab aliis dignoscerentur, vestes lana pingui et crassa constantes purpura Tyria i. e. pretiosissima tinxerant. Vid. Ferrar. de re vest. IV, 11. De luxu purpureas vestes gestandi interpretes ad Petron. Satiric. cap. 30. Similis compositio invenitur apud Tertullian. de pallio cap. 4. *Ita et endromidis solocem multitia synthesi exstruxit.*

Aliud graecae originis, sed item Romae sine dubio inventum nomen exstat Sat. III, vs. 67.

Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.

ubi si priori versu de palaestra sermo esset, non dubitarem *trechedipna*, siquidem ea Romani, priusquam ad coenam irent, et in palaestra et in balneis et aliis locis gestarint, eodem modo, quo endromidem, explicare. Verum unde apparet, de palaestra ibi agi? Fortasse ex sequenti versu? Certe ita statuit Ferrarius de re vest. lib. III, cap. 12, et plures alii, quamquam in voce trechedipna nihil est, quo palaestra innuatur, nedum palaestrica vestis. Vestem sane, qua Romani ad coenam currebant, intelligamus necesse est, coenatoriam, accubitoriam, synthesin, qua amicti Saturnalium tempore, quo convivia creberrima erant, quotidie in publicum prodibant (vid. Martial. XIV, epigr. I, vs. 1. epigr. 123 et 129.): quo praeterlapso neminem

fas erat ita indutum apparere, et qui tali cultu incedebat, mollis, effeminatus et dissolutus homo habebatur. Cuius mollitiei duo exempla notantur, unum Neronis a Suetonio c. 51. *ac plerumque synthesinam indutus ligato circum collum sudario prodierit in publicum, sine cinctu et discalceatus.* et a Dion. Cassio lib. LXIII, cap. 13. *Τοὺς δὲ βουλευτὰς χιτώνιόν τε ἐνδεδυκὼς ἄνθινον, καὶ σινδόνιον περὶ τὸν αὐχένα ἔχων, ἠσπάσατο· καὶ γὰρ καὶ ἐν τούτοις ἤδη παρηνόμει, ὥστε καὶ ἀζώστους χιτῶνας ἐν τῷ δημοσίῳ ἐνδύεσθαι.* alterum Cornelii Frontonis apud Dion. Cassium lib. LXIX, cap. 18, quod *στολῇ δειπνίτιδι* tribunal adiit. *Κορνήλιος Φρόντων, ἐσπέρας ποτὲ βαθείας ἀπὸ δείπνου οἴκαδε ἐπανιών, καὶ μαθών παρά τινος, ὧ συνηγορήσειν ὑπέσχετο, δικάζειν αὐτόν, ἔν τε τῇ στολῇ τῇ δειπνίτιδι, ὥσπερ εἶχεν, ἐς τὸ δικαστήριον αὐτοῦ ἐσῆλθε.* Vid. Reimari notam ad h. et illum locum. Interpp. ad Petronii Satiric. cap. 30. neque dubitandum est, quin permulti, quum Roma mollibus Graeculis redundaret, et synthesina imperatorum tempore in usum venisset, eandem sibi negligentiae vituperationem contraxerint. Quid vero, si syntheses proprie intelligendae sunt, poeta eos *trechedipna*, nomine fortasse nusquam alibi audito, appellaverit? Ut graviter, quod iam ex alloquutione Quirini manifestum fit, Romanos rideret, quod antea probi et priscis moribus ornati, nunc peregrinorum imitatione tam molles et effeminati facti essent, et synthesinam quotidie induti convivia frequentarent. Verbis proximis exprobrat illis vilem et maioribus in-

famem artem gladiatoriam, quam poetae tempore viventes tanta cupiditate exercebant, ut victoriae praemia ostentationis causa collo gestarent.

Omnino solebant Romani illius temporis et vestimentis et ministris graecas appellationes imponere: qua re, patrium sermonem quasi pertaesi, elegantiam quandam morum affectabant. Hoc respectu iam supra satir. V, vs. 72. loquutus sum de voce *artocopos*, quocum Satir. IX, vs. 109. *archimagirì* comparandi sunt. Illud quidem apud graecos scriptores invenitur, huius vero nullum ibi exstat vestigium, quum a Romanis ipsis vel a Graeculis Romae viventibus fictum et compositum sit. Utraque autem vox domestica erat et usitata splendidis familiis. Praeterea duo ex vestium nominibus afferri possunt, in quae ista observatio quadrare videtur: alterum est Satir. VI, vs. 259. *cyclas*, quae circularis figurae vestem muliebrem designat, tenuem, praelongam, et ad imum aureo vel purpureo limbo exornatam. Vid. Samuel. Petiscum ad Sueton. Caligul. cap. 52, ubi plura in hanc rem congesta invenies. Alterum exstat Sat. VI, vs. 519.

Et xerampelinas veteres donaverit ipsi.

ubi in explicandis xerampelinis scholiastae sententiam sequamur necesse est, qui eas ampelini coloris, qui inter coccinum et muricum medius sit, vestes esse contendit. Vid. Gerard. Ioan. Vossii etymologicum s. h. v.

His denique, alius quidem generis, sed eandem ob causam, quod Romae sine dubio, vel a Romanis in Graecos, vel a Graecis ipsis inventa fuerit, addenda

est vox *aretalogus* Satir. XV, vs. 16, quae unde in Latium irrepserit, quum Graeci eam nec habuerint, nec ita confingere utique potuerint, id Rostius de Plauto hybridarum vocum ignaro se nescire profitetur. Sed mihi quidem ista formatio nec mira, nec monstrosa videtur, quum, si quid miri habeat, id vocabulo suppositum putem idcirco, ut, qui hac voce intelligendi sunt, auctores vel narratores rerum mirabilium et fabulosarum ipsa insolita compositione indicarentur. Non alio sensu *aretalogi* apud Sueton. vit. August. cap. 74. capiendi sunt, ubi ii ab Augusto inter alios humilis generis homines coenae adhibentur, ut variis fabellis, nugis et facetiis delectent et tempus fallant. Quae quidem verbi explicatio, nisi id ab ἀρετά, i. e. ἀρέσκοντα λέγων, ut nonnullis placuit, derivare velis, quod tamen propter mediae syllabae productionem apud Iuvenalem nullo modo fieri potest, ex etymologia ἀρετὴ et λέγω non videtur promanare, sed ea respecta potius illa morum praeceptoris, de virtute et vitio disputantis, exspectatur. Talis fuit Crispinus Horatii satir. lib. I, satira I, vs. 121, propter garrula carmina, et morum praeceptis sine dubio conferta, aretalogus appellatus. Vid. scholiast. Porphyr. ad h. l.: fuerunt etiam alii ἡθολόγοι, praesertim Cynicae et Stoicae sectae, qui in conviviis ditiorum Romanorum narrationes proferrent moribus emendandis et conformandis inservientes: quae tamen quum nonnumquam nimis severae et essent, et pro rerum argumento et narratorum fine esse deberent, paulatim spernebantur ab hilarioribus: placebant faceti homines, intrabant scur-

rae, rerum fictarum auctores et eiusmodi, quos Forcellini in lexic. Amadisios et similium scriptores appellat, ita tamen, ut nomen aretalogi iis semel inditum non tolleretur. Conferas eos, qui a Sam. Petisco ad Sueton. l. l. afferuntur.

SATIRA VI, vs. 261 sqq.

Mulieris in arena ad palum exercitatio his versibus describitur:

Adspice, quo fremitu monstratos perferat ictus
Et quanto galeae curvetur pondere, quanta
Poplitibus sedeat, quam denso fascia libro,
Et ride, scaphium positis quum sumitur armis.

Pro *fremitu* Marklandus ad Stat. pag. 165. a. *gemitu* posuit, illius vim, ferociae mulieris in pugna ostendendae multo aptiorem, non animadvertens. Est enim iratis et furibundis animalibus proprium, ideoque bene transfertur ad mulierem pugnae ardore ferventem. Infra vs. 266. id demum sequitur, quod Anglus h. l. inconsulto desideravit. Nec probo Mansonis verborum iuncturam, *quanta fascia poplitibus sedeat et quam denso libro*, qua imago mulieris adversarium ferientis, et rursus ad impetum eius excipiendum sese praeparantis egregie proposita perit. Nam versu 261 ea adversarium adoriens apparet, sequentibus ipsa parata ad eius incursum. *Quanta poplitibus sedeat* h. e. quantopere corpus extendat more gladiatorum genibus flexis, altero pede proiecto, sed ita, ut eum, prout ictus adversarii evitare vellet, moveret, sinistro autem immoto, et, ut firmius stare posset, corticis ligamine cin-

cto. Sequutus sum maxima ex parte vulgatam explicationem, et quam dedit codex Hafniensis apud Cramerum ad schol. Ad verba *quam denso fascia libro* supplendum est *ipsi adsit.*

Versu proximo *scaphium* neque in *strophium*, ut ex arbitrio Mansonis muliebre ornamentum exprimatur, mutandum est, neque de vase potorio vel unguentario, multo minus de capilitio, sed, quemadmodum plures iam voluerunt, de matella, scaphae similitudinem et formam habente intelligendum est. Lasanum virorum, mulierum illud esse dicunt. Pollux lib. X, cap. 9, 46. *τῇ γυναικὶ σκαφίον, ὡς ἐν Αὐτολύκῳ Εὔπολις,*

Τί δῆτ' ἄν, εἰ μὴ τὸ σκαφίον αὐτῇ παρῆν;

Martial. lib. XI, epigr. 12. *Te potare decet gemma, qui Mentora frangis In scaphium moechae, Sardanapale, tuae.* Jo. Matthiae Gesneri iudicium et auctoritatem si Manso eodem modo, quo aliis in locis, magni aestimavisset, profecto error eius non tantus fuisset. Ille enim in thesauro s. v. *scaphium* breviter ac sobrie animadvertit: „*Cur hoc vas muliebre scaphae formam habuerit, non opus est divinatione subtili. Magis satiricum est hoc, quam nescio quod ornamentum capitis intelligere.*“ Quae viri animadversio etsi contra Mansonis emendationem directa non est, est tamen *strophium* item ornamentum muliebre. Atque verbo *scaphium* maximam satiricam vim inesse debere, iam inde apparet, quod poeta ipse dicit *Et ride.* Ridemus sane, quum, quem virum putabamus ante, subito in feminam vestium mutatione transformatum videmus. Nihil vero magis ridiculum est, quam quum

mulier, quae athletam simulabat, agnoscitur eo, quod media in arena, armis positis, vas ipsius sexui aptum urinae excipiendae in manus sumit. Simul etiam huc refero, quod vs. 252 dicitur: *Quem praestare potest mulier galeata pudorem?*

SATIRA VI, vs. 270 sqq.

Postquam poeta aliud matrimonii incommodum, lites et convicia mulierum, quibus ne noctu quidem quies conceditur viris, attulit, illis admonitus ad graviora, quae mulieres adulterii commissi consciae excitant, transit.

Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride peior,
Quūm simulat gemitus occulti conscia facti:
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat,

In his agitur de simulatione et malis artibus, quibus mulieres, si cum aliis rem habuerunt, ad maritos decipiendos utuntur. Consciae adulterii quum gemere simulant, aut viris molestae sunt, iisque quasi infidis vehementer irascuntur, aut in servos, tanquam illorum in furtivis amoribus ministros furunt: quae omnia idcirco faciunt, ut maritis amorem suum persuadeant, omnemque a se perfidiae suspicionem removeant. Cf. vs. 275. *tu credis amorem.* Quare vs. 270 non potest aliter, nisi cum sequentibus coniungi, quia si antecedentibus adderetur, nihil novi accederet, et si abesset a sequentibus, aliquid desideraretur. Accedit etiam, quod verba *orba tigride peior*, quae occultam tigridem inter et feminam comparationem continent, hanc interpungendi rationem postulare videntur; nempe ut

tigris pullis orbata in obvenientes furit, ita mulier se amore mariti privatam dicens fundit lacrimas, irascitur viro, aut odit servos.

SATIRA VI, vs. 306—308.

I nunc et dubita, qua sorbeat aëra sanna
Tullia, quid dicat notae collactea Maurae,
Maura Pudicitiae veterem quum praeterit aram.

Transpositio versuum 307 et 308, quam Achaintrius et Rupertus instituerunt, nihil habet, quo commendetur eximie. Inveniuntur quidem in tribus Codd. Parisinis et uno Ruperti ea serie, quae iis in recentiore eius editione assignata est, verum reliqui libri et editiones veteres hunc ordinem non agnoscunt. Causa huius mutationis manifesta est, et quidem eadem, ex qua vs. 307. in Cod. Pithoei, tribus Parisinis aliisque omissus est. Quum enim horum duorum versuum *Maura* alterum finiret, alterum rursus inciperet, atque sic bis posita esset, librarii, quibus id offensioni erat, omiserunt eum, qui commode omitti poterat. Sed haec eadem ratio nobis argumento potest esse, antiquam verborum constructionem et optimam esse et verissimam. Accedit alia ex ipsius loci natura desumta. Tullia sine dubio femina nobilis est, ex genere patricio oriunda: Maura, ex serva nata, quacum illa eodem lacte nutrita erat, ut Graeci dicunt, σύντροφος, ὁμογάλακτος. Utri igitur harum mulierum aptior est derisio veteris Pudicitiae arae? Tulliae, an Maurae? Tulliae, quum vetus ara patriciorum esset, in eaque priscis temporibus nonnisi pudicae sacrificarent. Vid. Livii lib. X, c. 23.

et Festum s. Pudicitia et Plebeia, quos Rupertus laudat. Quae quidem derisio si Maurae, cui nullum omnino ius erat in hac ara sacrificandi, tribueretur, non eam vim haberet, quam in ore Tulliae.

SATIRA VI, vs. 320.

Lenonum ancillas posita Saufeia corona
Provocat et tollit pendentis praemia coxae.

Pro *Saufeia* plures in codd. inveniuntur lectiones: alii *Laufeia* dant, alii *Laufera*, *Laufela*, plurimi a Ruperto allati, omnesque Parisini libri *Laufella*. Etiam apud Martialem lib. III, epigr. 72, et Sat. IX, vs. 117. eadem est scripturae diversitas. Quapropter non dubitavit Achaintrius, suos codices sequutus, Laufella in textum recipere, probavitque Rupertus formam, neque alibi repertam, neque analogiae legibus convenientissimam. At Saufeia Romanum nomen est, apud Plinium Hist. natur. lib. VII, cap. 53. occurrit *Ap. Saufeius*, ubi Harduinus notat: *Saufeia familia Romae ex plebeiis fuit:* apud Cornel. Nepotem in vit. Attici c. 12. *Lucius Saufeius*, *eques Romanus*. Praecipue in inscriptionibus exstat hoc nomen, ex quibus unam Camillus Silvestri Italus in editione sua attulit: *T. Saufeius L. F. Saucio salve.* Hoc loco nominata Saufeia fuit sacerdos ex scholiastae adnotatione, quae tamen non alio loco, nisi Sat. IX, vs. 117. fulta videtur. *Pro populo faciens, quantum Saufeia bibet. Pro populo facere* usitatum erat in sacris publicis bonae Deae. Senec. epist. 97. *violatis religionibus sacrificii, quod pro populo fieri dicitur.* Cicer. lib. II, c. 12. de legg. *nocturna*

mulierum sacrificia ne sunto, praeter olla, quae pro populo rite fient. Cicer. ad Attic. I, 12. *Clodium Appii filium credo te audisse, quum veste muliebri deprehensum domi Caii Caesaris, quum sacrificium pro populo fieret.* Ex his utique statui potest, eam bonae Deae sacerdotem fuisse, sed si hunc locum et alterum poetae cum Martial. epigr. 72, lib. III. comparaveris, hoc tantum constat, Saufeiam quandam in sacris bonae Deae faciundis ob temulentiam, et omnino ob libidines tetras male audivisse. — Verba *posita corona* non significent praemium certaminis propositum, sed finem convivii, in quo, sicuti alias mariti, etiam mulieres coronari solebant, praesertim sacra facturae. Ebria Venus est (vid. vs. 300), i. e. mulieres violentae iam se convertunt ad libidinem satiandam, Saufeia provocat alia prostibula, et in libidine victrix decedit. *Provocare* indicat ad certamen vocare, sed certissima vincendi spe. Vid. Gierig ad Plin. Panegyr. c. 51. et Bentl. ad Horat. Sat. I, sat. 4, vs. 14. *Praemia tollit* iam indicatum est, quomodo explicandum sit: quod si falsum dicas, id saltem certum videtur, non coronam victrici propositam fuisse.

SATIRA VI, vs. 229.

Dormitat adulter,
Illa iubet sumto iuvenem properare cucullo.

Plurimos h. l. codd. sequutus excudi iussi *dormitat adulter*: *iam dormit* ortum videtur a librariis, qui particulam *iam*, quum ea versum inciperet, propter vim quandam etiam h. l. inseruerunt. Particula *si*, quae

in Ms. Pithoei ante *dormit* collocata est, inservit tantum explicationi, et in hac enunciatione supplenda est. Quare haec verba aedituae respondenti tribuere, vel, ut illarum feminarum sint, cum interrogatione legenda affirmare, ineptum est, et quod Vossius ad Catull. p. m. 189. proposuit *st! dormit adultur*, temerarium, et Iuvenale prorsus indignum. Totus sententiarum ordo flagitat, ut verba arctius coniungantur cum sequentibus, eorumque, ut in proximis enunciationibus per particulam *si*, protasin efficiant.

SATIRA VI, vs. 347 sq.

Pone seram, cohibe. Sed quis custodiet ipsos
Servos? Cauta est et ab illis incipit uxor.

Romani quoque mulieribus custodes apponebant, ut praeter alios etiam ex Apulei. Metam. lib. IX, pag. 188, ed. Pric apparet: Uxorem generosam, eximia formositate praeditam, mira custodia munitam, domi suae, quam cautissime cohibebat.“ Attamen interdum fiebat, ut ipsi custodes corrumperentur, aut cum feminis custoditis rem haberent. Huc Iuvenalis verba *et ab illis incipit* spectant, ac nullo modo de corruptione custodum bene possunt intelligi. Nam cauta dicitur uxor ideo, quod turpi eorum consuetudine prius utitur, ne, aliis adulteris admissis, apud maritum prodatur. Iam scholiastes recte intellexit versum, citatis antiqui poetae verbis:

Qui nunc lascivae furta puellae
Hac mercede silent: crimen commune tacetur.

SATIRA VI, vs. 371.

Ergo exspectatos ac iussos crescere primum
Testiculos, postquam coeperunt esse bilibres,

Vs. 371. scripsit Rupertus *spectatos*, i, e. insignes, iustae magnitudinis, quamquam *exspectatos* non modo in multis codd. invenitur, sed etiam aptiore significatione commendatur. *Exspectatos* enim appellat poeta testiculos, quia mulier, priusquam evellerentur, maturitatem eorum et iustam magnitudinem duarum scilicet librarum vix exspectare potuit, eorumque desiderio iam diu flagravit. Si vero *spectatos* ea vi, quam Rupertus statuit, probamus, vereor, ne id, quum verbis *postquam coeperunt esse bilibres* certa magnitudo indicetur, inepte antecedat. Praeterea facilius potuit haec scriptura a librariis inferri, quam altera *exspectatos*, cuius prima syllaba pronuntiando a vocula *ergo* absorpta fuerat. Utrumque etiam saepe confusum esse docet Munkerus ad Hygin. Astron. lib. I, 6. et Forcellin. in lexico s. v. *exspecto*.

Vs. 377 errant, qui Bromium durum dici contendant, quod iam duratus ac firmus ad labores corporis, vel robustus sit. Oppositum est illis vs. 369 *matura inguina*, et designat eum, qui non amplius tam mollis est, ut medici manibus tradi et castrari possit. Quare etiam tondendus, quum ab illo vs. 373 tonsor nihil lucretur. Ceterum Ruperto in explicandis verbis *eunucho committere* assentior.

pag. 41. ed Colvii. Sed idem ille Reinesius simul laudabilem viri cuiusdam docti interpretationem affert, qui *castra* agmen immodicum sc. servientium dominae ad balnea significare dicit. Et recte quidem, si, monente Cramero, verba vs. sequentis *magno tumultu* respicias. Cf. Statii Theb. lib. IV, vs. 663 *et castra simillima regi* i. e. pompa, ubi Casp. Barthius etiam hunc Iuvenalis locum adducit.

SATIRA VI, vs. 473.

Est operae pretium, penitus cognoscere, toto
Quid faciant agitentque die.

Difficillimum est hoc loco argumentis docere, utra lectionum antiqua et ab ipso poeta profecta sit, *pretium curae*, an *operae pretium*: illam scholiastes habet, haec in plurimis libris invenitur. Ac fateor, prisci interpretis auctoritatem hac in re mihi non tantam esse, ut fidei reliquorum nihil tribuam. Facilius quidem explicanda vocis *operae* origo, sed potuit etiam *curae* a librario quodam substitui, ut ex Iuvenale vulgaris et maxime prosae orationis scriptoribus usitata dicendi formula everteretur. Equidem hoc *est operae pretium* idcirco praeferendum putaverim, quod dictione ista reliqui satirici poetae non mutata utuntur, eamque ab Ennio tamquam hereditariam ibi propagasse videntur, ubi res novas et graves describere incipiunt. Id ex Horatio luculenter apparet lib. I, sat. II, vs. 37. *Audire est operae pretium*: ad quae schol. Acron. et Porphyr. notat: Urbane abutitur Ennianis versibus; apparet ex lib. II, sat. IV, vs. 63. *Est operae pretium*

duplicis pernoscere iuris naturam: idem epist. lib. II, epist. I, vs. 229. *Sed tamen est operae pretium cognoscere*, denique apud Persium sat. VI, vs. 9. *Lunae portum est operae cognoscere cives* recurrit. vid. ibi schol.

SATIRA VI, vs. 483.

Describitur mulieris crudelitas, quae, quia maritus aversus iacuit nocte, servos et servas verberari iubet. Qui dum caeduntur, aequo animo considerat vestes auro pictas, an pulchrae et mundae sint, et

longi relegit transversa diurni,

ut errata et delicta in rationibus commissa cognoscat. *Transversa longi diurni* sunt acta diurna, et quidem eae partes, quae aversae dicuntur, i. e. *ὀπισθόγραφα*, in quibus expensa scripta erant. *Relegit* et *longi* summam dominae saevitiam exprimunt; hoc, quod ea, ut servi diutius vapulent, non deterretur a longi codicis lectione, illud vero, quod eadem de causa cognitionem semel peractam rursus instituit. Inde etiam libraria, quae vs. 476 occurrit, ita explicanda est, ut eam pensa, quae distribueret servis, in adversaria dominae, in commentarios diurnos retulisse dicamus: quo modo, etsi diversa etymologia, non differre videtur a lanipendia, quam scholiastes sub libraria intellexit. Certe non ea ratione verbum interpretemur, quemadmodum a Boettigero in Sabina pag. 89. factum est. Satir. IX, vs. 109. *librarius* invenitur, qui scriba domini est, rationes conficit, libros, epistolas et alia describit.

SATIRA VI, vs. 510 sq.

Hoc solo proprior, quod amicos coniugis odit
Et servos, gravis est rationibus.

Ultimis verbis repetitionem habemus eorum, quae poeta supra vss. 358 sqq. de damno, quod mulieres prodigiosae maritis et rei domesticae afferrent, loquutus est. Hoc loco Rupertus, cui Francogallus assentitur, sibi explicare non potest, quomodo in extrema vs. 511. parte repente, sine ulla transitus nota, progrediatur Iuvenalis ad aliud argumentum, statuitque unum altervumve versum librariorum incuria excidisse. Sed quam saepe librariis culpa tribuitur, quae in ipsos eorum vituperatores cadit. Ut hoc omittam, poetas satiricos non ubique accuratam partium convenientiam spectare, tamen eam, siquidem verba *gravis est rationibus* sequentibus antecedentia annectere dicamus, nullo modo neglectam esse censeo. Poeta dicere vult, mulieres etiam superstitione multas facere impensas, ideoque graves esse rationibus. Hanc, quamvis tecte expressam, verborum sententiam ostendunt vs. 518 sq. *nisi si centum lustraverit ovis Et xerampelinas veteres donaverit ipsi*, vs. 540. *ansere magno scilicet et tenui popano corruptus.* vs. 546. *implet et illa manum.* et alia.

Asyndeton deinde, quod poeta admisit, et in quo multi etiam alibi haesitarunt, nihil habet difficultatis. Vide Tibull. lib. I, eleg. V, vs. 47. *Haec nocuere mihi, quod adest huic dives amator, Venit in exitium callida lena meum,* in quae verba Wunderlich. observatt. p. 121. animadvertit: „Adde quod in affectu, quali haec scri-

bens percussus erat Albius, ferri potest asyndeton *adest — uenit*, quod alii absque illo affectu post coniunctionem *quod* admiserunt. Iuvenal. sat. VI, vs. 509. *vivit tamquam vicina marito, Hoc solo propior, quod amicos coniugis odit Et servos, gravis est rationibus.* Ex quo facile alium Iuvenalis locum sat. VII, vs. 88. *Ille et militiae multis largitur honorem, Semestri vatum digitos circumligat auro*, a correctione *largitus*, aut *Semestri et* defendes. Vide etiam Virgil. Ecl. I, 37, 38."

SATIRA VI, vs. 582 sqq.

Si mediocris erit, spatium lustrabit utrumque
Metarum et sortes ducet frontemque manumque
Praebebit vati crebrum poppysma roganti.

Poppysma quid sit, sciunt omnes interpretes, sed vehementer inter se discrepant h. l. in constituenda vocabuli significatione. Ruperti ellipsis, uni Achaintrio probata, praepositionis *ad* mihi durissima videtur, et quod Manso *sonanti* pro *roganti*, quamvis sententiae probabilitate adiutum, coniecit, tamen omnium librorum repugnantia reiicitur. Hoc certe mihi persuasissimum habeo, non coniecturis, sed concinne explicando, verbis aperte difficultate aliqua laborantibus auxilium ferendum esse. Equidem, quum poppysma de quovis acutiore sono, veluti fistulae, de sono osculorum labris compressis atque e manuum complosione orto interpretentur, hanc vim loco ita applico, ut illud sonum significare dicam, quem numi minuti manibus hariolorum crebro impressi et inter se collidentes effecerint. Mulier mediocris, non dives, adit cir-

cumforaneos viliores, qui rogant, ut manus sibi trientibus et quadrantibus impleatur. Idem dicit Iuvenalis supra vs. 546. de Iudaeis: *Implet et illa manum, sed parcius: aere minuto, Qualiacumque voles, Iudaei somnia vendunt.* Quae explicatio si minus placeat, fateor mihi ipsi praeterea maxime probatam fuisse illam Heineckii: „Pauperes mulieres, inquit, ad vates eunt, qui contenti sunt et esse debent, si sibi mercedis loco basiá iactentur. Colligo id maxime e loco Martialis Ep. lib. I, 77, vs. 13, 14.

Illic aera sonant: ad circum pulpita nostra
Et steriles cathedras, basia sola crepant."

Nam quaerere velle, unde tum sibi victum paraverint isti harioli, ineptum est, quum hoc loco de solis mulieribus, iisque pauperibus agatur.

SATIRA VI, vs. 552.

Armenius, vel Commagenus haruspex:

Pectora pullorum rimabitur, exta catelli,
Interdum et pueri: faciet, quod deferat ipse.

Roma delatores diris Neronis temporibus multos habebat, neminem vero tam singulari malitia infamem, quam hunc a poeta notatum. Id quidem nimis obscure nostrae intelligentiae expressum est, non item Romanis: nam nequissimum illum, eiusque scelus, lectis poetae verbis, unicuique rerum in urbe gestarum paulo peritiori innotuisse, vel inde, quod descriptio flagitii non ampla, nec satis definita est, vel etiam ex eo coniici licet, quod Tacitus et Dio Cassius rem simillimam referunt. Dio Cassius lib. LXII, cap. 26.

Σωρανός, ὡς καὶ μαγεύματί τινι διὰ τῆς θυγατρὸς κεχρημένος, ἐπειδὴ νοσήσαντος αὐτοῦ θυσίαν τινὰ ἐθύσαντο, ἐσφάγη. Tacitus Annal. lib. XVI, c. 30. „Vetera haec, sed recens et quod discrimini patris filiam connectebat, quod pecuniam magis dilargita esset. Acciderat sane pietate Serviliae: id enim nomen puellae fuit: quae caritate erga parentem, simul imprudentia aetatis, non tamen aliud consultaverat, quam de incolumitate domus, et an placabilis Nero, an cognitio Senatus nihil atrox adferret.“ Delator Bareae Sorani erat Publius Egnatius Celer, qui ut filiam quoque perderet, domumque exstirparet eius, subdole contra illam machinatus est. Namque eam, auctore scholiasta, quum ipse ad magicam descendisset, hortatus (ubi prorsus nihil corrigendum) detulit Neroni. Qua de re dicit Tacitus: *discrimini patris filiam connectebat.* Falso autem accusabatur, quaesitum esse ab ipsa in domum Caesaris per Chaldaeos, quod illo tempore capitale erat. Vid. Lips. ad Tacit. Ann. III, cap. 22. Cuius rei memoria sancta erat Romanis, et Egnatii morte manibus Sorani et Serviliae satisfactum. Tacit. Histor. lib. IV, cap. 10, 40. Annal. lib. XVI, c. 32. Quapropter etiam poeta noster sese continere non potuit, quin illum ob hoc ipsum sat. III, vs. 116. aperte, et Sat. I, vs. 33. iterum occulte lacesseret.

Itaque quum scriptores historici eadem, sed fusius, ac Iuvenalis, de Egnatio et Sorani sorte narrent, quum illum inde ut hominem scelestissimum omnibus cognitum, multosque in eundem ira incensos fuisse videamus, non est diutius dubitandum, quin poeta pestem

illam hoc quoque loco taxet, aut si quem similem, eum certe simul in animo habuerit. Hoc ut statuamus, aliud in verbis ipsis datum videtur indicium. Armenius enim vel Commagenus tam nefanda patrasse dicuntur. Commagenus autem Syrus est, nam Commagene erat pars Syriae inter Amanum montem et Euphratem sita; ac Dio Cassius I. l. P. Egnatium Cel. Beryto oriundum facit, urbe Palaestinae, quae terra tunc temporis ad Syriam pertinebat. Iam vero quaeritur, cur pars tantum Syriae, non tota nominata sit? Nimirum Commageni rebus magicis prae ceteris excellere putabantur. Denique Egnatius Celer, Syrus, teste scholiasta, artem magicam calluit.

Quod ad verba *faciet, quod deferat ipse*, attinet, ea non ad modum Ruperti: *faciet ita, quod si alius faciat, ipse deferat*, explico, sed potius ita: eius generis homo, natione Syrus, efficiet tale quid, quod ipse apud praetorem denuntiet: quae in Egnatium adhibita si circumscripseris, significabunt: talis homo hortabitur puellam ad res magicas, eam ut accusandi causam habeat et praemium delationis adsequatur. Nero enim, quamquam ipse antea artibus magicis addictus (Plin. Hist. nat. lib. XXX, cap. 2. Sueton. Ner. cap. 34.) eas vetuerat, ne adversus se adhiberentur. Vid. Reimar. ad Dion. Cass. lib. LXII, cap. 26.

SATIRA VI, vs. 585—587.

Rupertus vss. 585, 586 et 587. ante vs. 582. legi vult, ne poeta, verbis de divitum vatibus expositis interruptus, redeat ad pauperes mulieres et eadem fere

repetat. Sed quum in verbis nihil mutetur, nonne etiamtum, quum illa transferuntur, eadem manent? Ergo repetitio eiusdem sententiae non potest in causa esse, cur tres versus illos transponendos esse necesse sit. Quid, quod eadem, si vs. 588 statim post 584 sequitur, istoque modo similia arctius, quam antea, coniuncta sunt, Rupertum admonere debuit, ut vulgatum versuum ordinem non a librariis, sed a poeta ipso profectum censeret. Iuvenalis vss. 582—584. exponens, ad quos mulieres mediocris conditionis explorandos se vertant, statim eos, qui divitibus responsa dare solent, subiungit, et deinde ad pauperes i. e. ad meretrices, quae e vs. 591. intelliguntur, transit, easque non in circo solum, sed etiam in aggere, ubi mulieres vilissimae habitabant, e vatibus, quid ipsis faciendum sit, quaerere dicit. Quod vero versus 585—587. interpositi sunt, non est contra poetae consuetudinem, saepe optatam interpretibus verborum coniunctionem negligentis. Unde etiam vs. 464 sqq. ab omni mutatione defenduntur et comprobant observata.

SATIRA VI, vs. 589—591.

Quae nudis longum ostendit cervicibus aurum,
Consulit ante phalas delphinorumque columnas,
An saga vendenti nubat, caupone relicto.

Scripturam *nullis* Salmasii et Iuvencii, in nullo codice inventam, Rupertus et Achaintrius receperunt. In longa adnotatione hic causas, cur vulgata ferri nequeat, sed, ut mihi videtur, non satis idoneas, expromit. Mulieres liberioris vitae hoc versu describuntur, antea

illo *aggere* et sequentibus verbis *caupone relicto* accuratius indicatae. *Longum aurum* monile aureum vel una vel duabus lineis vel tribus constans significat, (Sat. II, vs. 85 *et toto posuere monilia collo.* Vide Boettig. Sabin. pag. 405, 406), quod quidem proprie matronarum erat ornamentum, meretricibus vero, praesertim exterioris cultus studiosis, gestare non vetitum. Atque hae, etsi in universum summa paupertate vexatae, tamen splendoris studio aurea monilia gestabant, ita tamen, ut ab illis velatis nuda cervice distinctae essent. Itaque vs. 587. non paupertas eius generis mulierum, sed earum tantum conditio, ut quales innuantur, lectores intelligant, notatur.

SATIRA VI, vs. 632 *sq.*

Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit illa,
Quae peperit: timidus praegustet pocula pappas.

Hi duo versiculi in pluribus codicibus desiderantur, quod etiam vetus scholiastes animadvertit. Causa huius omissionis neminem fugiet, si monachos veteres libros descripsisse cogitet, qui summa papae veneratione eius nomen ita dehonestari nollent.

SATIRA VI, vs. 637—642.

Dicit poeta, mulieres, quaestus cupiditate ductas, privignos veneno necare, alias ne suis liberis quidem parcere, et inter has Pontiam commemorat his verbis:

Nos utinam vani: sed clamat Pontia, feci,
Confiteor puerisque meis aconita paravi,
Quae deprensa patent: facinus tamen ipsa peregi.

In ultimo horum versuum Guietus *tantum* pro *tamen* coniecit, idemque Rupertus appetivit, ac simul eo processit audaciae, ut nullis rationibus ductus totum versum ab interpolatore profectum existimaret: quod tamen iudicium, ut video, in novissima editione ipse reiecit. Etiam Iacobsio ad Antholog. Gr. Vol. III, p. 2, p. 8. particula *tamen* valde displicuit dicens: Sensu vocabuli *audax* θερμὸν usurpavit Aristophanes Plut. 415. ὦ θερμὸν ἔργον κ'ἀνόσιον καὶ παράνομον. ubi vid. Bergler. et ad Vesp. 922. Nautas omnia audentes θερμοὺς appellat Aeschyl. VII, c. Theb. 610. θερμουργός idem Eumen. 563. πολέμιον et ὑποθερμότερον ἔργον iunxit Herodot. VI, 38, pag. 454. ἀθέρματον, ἀθράσυντον. Schol. Aeschyl. Choeph. 627. Calida consilia sunt ap. Cicer. off. I, 24. et fortasse apud Iuven. Sat. VI, 639. Feci, Confiteor, puerisque aconita paravi, Quae deprensa patent; facinus calidum ipsa peregi. Vulgo *tamen*, quod in illo contextu nullam vim habet. Obversabatur autem, quod obiter monendum, satirico Romano Clytaemnestrae Aeschyleae imago in Agamem. v. 1373. οὕτω δ'ἔπραξα, καὶ τάδ' οὐκ ἀρνήσομαι." Quae licet egregie adnotata sint, tamen haud necessaria dixeris, sicuti etiam illi duumviri neque vim verborum, neque sententiae elegantiam et gravitatem satis ceperunt. Vocabulo *facinus* magna vis inest, quae optime pronuntiando exprimitur, et si particula *tamen* cum substantivo arctissime coniuncta fuerit, de vi sua nihil amittet. *Ipsa*, ut saepe, ἐμφατικῶς, i. e. *mea manu*. Ex hac explicatione non potuit Iuvenalis gravius describere Pontiae crudelitatem.

Aperte confitetur, inquit, Pontia, suos se liberos veneno occidisse, adeoque se iactat, quod sua manu magnum facinus peregerit.

SATIRA VI, vs. 655 sq.

Occurrent multae tibi Belides atque Eriphylae:
Mane Clytaemnestram nullus non vicus habebit.

Nova Ruperti interpunctio, eiusque vocis *mane* explicatio mihi non placet, quia h. l. nihil refert, an ambulanti mane mulieres mali ominis occurrant. Dicere tantum voluit poeta, magnam copiam mulierum, quae maritos occiderunt, Romae obvenire eunti. Iam addit: adeo mane quaevis urbis pars unam Clytaemnestram ostendet, h. e. quum statim mane scelera per urbem patrata vides, quot tum demum totum per diem exspectanda sunt! Quapropter etiam Heineckii interpretatio necessaria non est, iam a Ruperto gravibus argumentis explosa.

SATIRA VII.

Vs. 8 — 12.

Queritur poeta de tristi tunc temporis poetarum conditione, qui nobilium opibus non adiuti et summa inopia coacti Romae et in Italiae oppidulis victum sibi vilissimis ministeriis quaerant, sicque vitam misere sustentent. Imitare, inquit, eorum exemplum:

Nam si Pieria quadrans tibi nullus in umbra
Ostendatur, ames nomen victumque Machaerae
Et vendas potius, commissa quod auctio vendit

Stantibus, oenophorum, tripodas, armaria, cistas,
Alcithoen Pacci, Thebas et Terea Fausti.

Si poesis, inquit, nulla tibi commoda afferat, domos nobilium ingrediaris, teque in eorum amicitiam insinues, aut munere praeconis fungaris. Hac sententia, quae huius loci certissima est, constituta, vis scripturae multorum Codd. *in arca* per se iam evanescit. Quamquam unum ex interpretibus, ceteroquin bonum et probatum, Grangaeum, illam rectiori praetulisse videmus, Martialis sine dubio verbis libr. XIV, ep. 219. *nullos referentia nummos Carmina cum scribes* deceptum. Quin etiam alia eiusdem sententiae carmina, quae afferri poterant, exstant. Martial. epigr. lib. I, vs. 77.

Pierios differ cantusque chorosque sororum,
Aes dabit ex istis nulla puella tibi.

Quid petis a Phoebo? nummos habet arca Minervae.

Calpurn. eclog. IV, 23.

Frange puer calamos et inanes desere musas
Et potius glandes rubicundaque collige corna,
Duc ad mulctra greges et lac venale per urbem
Non tacitus porta: quid enim tibi fistula reddet,
Quo tutere famem?

Quae ad id tantum adhibuerim, ut inde, ratione simul vocabuli *quadrans* habita, lectionis illius, quam sententiarum coniunctio prorsus spernit, origo explicetur. Suadet igitur poeta alteri, ut, Musis praemia non praebentibus, aut bona aliorum in auctione vendat, aut parasitorum more victum aucupetur. Opponuntur sibi hoc loco vita umbratilis et negotiosa. *Umbra* praecipue poetis tribuitur: nam solitudinem quaerunt, ur-

bium strepitum et celebritatem evitant. Tacitus in dialog. de oratoribus c. 9. *poetis*, inquit, *si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda cetera officia, atque ipsi dicunt, in nemora et lucos, id est, in solitudinem secedendum est.* Cap. 12. ab initio: *Nemora vero et luci et secretum ipsum tantam mihi adferunt voluptatem, quod nec in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore — componuntur.* Horat. epist. II, 2, 78. *somno gaudentis et umbra.* de arte poet. vs. 298. *secreta petit loca, balnea vitat.* Denique Martialis lib. IX, 65. ubi maxima cum Iuvenalis verbis similitudo invenitur: *Haec ego Pieria ludebam tutus in umbra.* Vs. 9. Machaeram pro parasito habere ne dubites: nomen fictitium est, ut supra pag. 199. vidimus: sic Sat. VIII, 180. mulier rapinarum cupidissima *Celaeno*, ut apud Martial. VI, epigr. 8. praeco muneri convenienter suo *Eulogus* dicitur. Sat. VII, vs. 114. occurrit russatus Lacerna, ubi Reinesius in margine scripturae diversitatem animadvertit: Lacerna sub Domitiano auriga fuit. V. Sch. Lacerta nomen militis fictum a poeta. Hinc igitur duplex sensus: unus de militiae, alter de aurigationis lucris. De his velim ego intelligere.“ Probo hanc sententiam, quatenus Lacernam item nomen aurigae fictum esse censeo, ut nos fere dicimus der Schwarz-, der Grünrock, der Schwarzmantel, der Rothmantel. Poeta certum quendam russatae factionis, qui populi vel imperatoris munificentia ditatus fuit, intelligere videtur. De opibus aurigarum vid. Panvinus lib. I, de ludis Circens. c. 14, pag. 40.

Bulenger de Circ. cap. 34. Praeterea inde quoque Machaeram parasitum fuisse apparet, quod, ut Grangaeus antea iam monuit, verba *nomen victumque Mach.* ad antecedentia *esuriens migraret in atria Clio*, referenda sunt, sicuti sequentia *et vendas potius, quod auctio vendit* ad illa *nec turpe putarent Praecones fieri.* Nam *in atria migrare* nihil aliud indicat, quam ditibus officia praestare, eosque adulari. Martial. ep. lib. XII, 56. *Atria, si sapias, ambitiosa colas.* Accedit, quod Martialis lib. III, ep. 39, vs. 11—12. idem simili modo expressit:

Atria magna colam? vix tres aut quatuor ista
Res aluit: pallet cetera turba fame.

In sequentibus

Et vendas potius, commissa quod auctio vendit
Stantibus, oenophorum, tripodas, armaria, cistas,
Alcithoen Pacci, Thebas et Terea Fausti.

facete inter res auctioni subiectas oenophorum, tripodes, armaria, cistae enumerantur, h. e. tota pauperum poetarum suppellex, nunc ipsis alia negotia agentibus, vel acturis inutilis ideoque vendenda. Oenophorum quidem iuxta res illis maxime necessarias ponitur, et poetis profecto, qui vini appetentes passim notantur, res necessaria est. Cratini vinolentiam tangit Aristophanes Pac. 700.; eundem ridet in Eqq. 399. atque idem vinum poetis, ut Nicrates canit, Pegasum esse dixit:

Οἶνός τοι χαρίεντι μέγας πέλει ἵππος ἀοιδῷ,
Ὕδωρ δὲ πίνων καλὸν οὐ τέκοις ἔπος.
Ταῦτ' ἔλεγεν, Διόνυσε, καὶ ἔπνεεν οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ
Κρατῖνος, ἀλλὰ παντὸς ᾠδωδεν πίθου.

quocum carmine versus primus Horat. epist. l. I, ep. 19. mirifice conspicat. ibidem a vs. quinto Venusinus dicit:

> Vina fere dulces oluerunt mane Camoenae.
> Laudibus arguitur vini vinosus Homerus,
> Ennius ipse pater numquam, nisi potus, ad arma
> Prosiluit dicenda.

Quid, quod, ut ibi vs. 10 sq. narratur, mali poetae fuerunt, qui, si ad Ennii aliorumque exemplum carmina componerent vinosi, optimos sese futuros arbitrarentur. Tales fortasse Iuvenalis animo obversati sunt.

Deinde nec tripodes in cella poetarum deesse debent, mensae Delphicae, Apollini primum dicatae, et eius cultoribus iucundae. Horat. lib. I, sat. VI, vs. 116. *et lapis albus Pocula cum cyatho duo sustinet.* Iuven. Sat. III, vs. 204. *ornamentum abaci.* Etymologus: *Δελφικά, τὸν τρίποδα Ρωμαῖοι, ἐπεὶ πρῶτον ἐν Δελφοῖς γέγονεν.* Vid. vett. interprr. ad Horat. l. l. et vett. glossae Philoxeni: Abacus, delphica, *μηνιστέριον, ὡς Ἰουβενάλιος.* Quapropter non probo lectionem *ripides* pro *tripodes* ex Cod. Thuaneo ad Herodiani partitt. pag. 118. nuper Boissonadio commendatam, quia plus habeat satiricae venae atque altera. Denique poetae, quorum tragoediae h. l. obiter commemorantur, mali et obscuri sunt, et ictu obliquo tanguntur. Vid. Langium in Vindiciis tragoediae Romanae p. 9.

SATIRA VII, vs. 18 sqq.

Hoc satius, quam si dicas sub iudice, vidi,
Quod non vidisti, faciant equites Asiani
Quamquam, et Cappadoces faciant equitesque Bithyni,
Altera quos nudo traduxit Gallia talo.

Hanc interpunctionem, cui etiam Heindorfius adstipulatur, si receperis, non tantum aptius cohaerebunt verba, sed vitium quoque, quod in sententia mihi latere videtur, facillime removebitur. Nam sicut in editionibus vulgo interpunctum est, Cappadoces per *et* i. e. *etiam* equitibus Asianis adduntur, quod tamen recte fieri non poterat, quum et ipsi ad hos pertinerent, et tam fraudulenti haberentur, ut eos aliis pessimis adiungere vix liceret. Exemplum, ubi particula quamquam enunciationi suae postposita est, habes in Tacit. Ann. lib. VI, cap. 30. *Haec mira quamquam, fidem ex eo trahebant.* Admissa igitur nostra distinctione illi populi inter Asiaticos separatim commemorantur, ut qui potissimum ex Asia Romam profecti malis ibi artibus evecti fuerint. Achaintrii explicationem, qua sub equitibus hisce nobiles fictitii in urbe opes et divitias quaesituri intelligantur, neque historia, neque ultimus versus admittit:

Altera quos nudo traducit Gallia talo.

ex quo illos ex provinciis ut servos venales Romam venisse manifestum fit, Cf. Lambin. ad Horat. lib. I, ep. VI, vs. 39. Affert quoque Grangaeus locum Martial. lib. X, ep. 76, ubi Cappadox in ordinem equestrem relatus notatur: *Civis non Syriaeve, Parthiae-*

ve, Nec de Cappadocis eques catastis, Sed de plebe Remi, Numaeque verna. Adde Plin. Hist. nat. lib. XXXIII, c. 2. *Postea gregatim insigne id appeti coeptum* (i. e. annulum aureum) *propterque haec discrimina Caius Princeps decuriam quintam adiecit: tantumque natum est fastus, ut quae sub divo Augusto impleri non poterant decuriae, non capiant eum ordinem, passimque adornamenta ea etiam servitute liberati transiliant.* Neque ignotum est, libertos saepenumero, de imperatoribus malis artibus bene meritos, aureo annulo donatos fuisse. Vid. Tacit. Histor. lib. II, c. 57. *Postulante exercitu, ut libertum suum Asiaticum equestri dignitate donaret, inhonestam adulationem compescuit. Dein mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur, honoravitque Asiaticum annulis, foedum mancipium, et malis artibus ambitiosum.* Cf. Tacit. Histor. lib. I, c. 13. Sueton. Galb. c. 14. Claud. c. 25. Vitell. c. 12. et Paul. in Pandect. in leg. de iure aur. annulorum.

SATIRA VII, vs. 40.

aut, si dulcedine famae
Succensus recites, Maculonus commodat aedes.

Heinrichius in commentat. I. in Iuven. satiras p. 23 sq. vitium suspicatus verbo *Maculonius* subesse, id, scholiastae nota: *alii, sordibus dixit, alii pictas*, commonefactus, emendatione *maculosas* i. e. araneosas vel textura aranearum, maculis obductas, removeri voluit. Atque omnes in eo recte consentiunt, correctionem istam ingeniosam esse, non aeque verbi explicationem

laudantes. Verum ego non dubitaverim, quin antiqua omnium fere librorum scriptura *Maculonus*, cuius *Maculonis* sola corruptela est, defendenda sit. Quod enim Heinrichius affert, fautoris nomen tam sero positum inepti aliquid habere, praesertim quum praecesserit *ipse*, quo *iste*, *quem colis*, satis signatus videri debeat, id equidem non invenio: potius irrisio et aculei insunt, siquidem divitis illius vitia, quae antea singulatim commemorantur, ut avaritia, fallaciae et stolida honoris cupiditas, hoc nomine fictitio ad extremum comprehenduntur. Etenim *Maculonus* derivandum est a *macula*, et notione congruit cum adiectivo *maculosus*, cuius terminationem poeta mutavit, ut nomen proprium dignosceretur ab adiectivo. Dicunt *macula avaritiae*, dicunt etiam *maculosus homo*, cf. Tacit. Histor. lib. I, c. 7. III, c. 38. *dedecore maculosus*: hinc *Maculonus* homo, qui vitiis notatis contaminatus erat, potissimum avaritia. Ex scholiastae deinde animadversione vix potest genuina et vera scriptura elici, propterea quod ea ipsa apertam corruptionem demonstrat, et, prout quisque velit, facile medelam patitur. Itaque priorem scholii partem sic scribendam existimo: *Alii*, *sordidas dedit* sc. Maculonus; altera, ut nemo negabit, integra est: utriusque vero mira significationis discrepantia mihi videtur inde profecta, quod ambo interpretes ipso nomine, quales aedes illae fuissent, indicatum putaverint, ita tamen, ut alter sordidas, alter falso pictas intelligeret.

SATIRA VII, vs. 73.

Poscimus, ut sit
Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
Cuius et alveolos et laenam pignerat Atreus.

Haec significant: Rubrenus poeta, dum tragoediam de Atreo scribit, cogitur ob paupertatem vestimenta sua et vasa pignori dare. Itaque perperam quidam hoc loco *pignerare* accipiunt pro *pignus capere.* Vocem recte explicat Forcellini in lexico s. v. *pignerare*, et ante eum Turnebus in Adverss., Pulmannus aliique. Inutile studium saepe poesin vocat Ovidius in libr. Tristium et epistt. ex Ponto, de inani poetarum laude et exiguo pretio loquitur passim Quinctilianus, at apprime in hanc rem Tacitus de causis corruptae eloquentiae c. 9. laudandus est: „quorum (versuum) tamen hic exitus est, ut, quum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, unum librum extudit et elucubravit, rogare ultro et ambire cogatur, ut sint, qui dignentur audire: et ne id quidem gratis.“ et quae sequuntur.

SATIRA VII, vs. 79.

Contentus fama iaceat Lucanus in hortis
Marmoreis;

Mirum est, quod Gronovius Observatt. p. 420, doctissimus latinorum poetarum interpres, scripturam *iaceat marmoreus* inducere voluit, accedente quidem postea Codd. nonnullorum approbatione, sed contra verborum sensum. Quapropter Rupertus quoque virum gravem, quod contra usum loquendi peccaverit, vituperat, at

graviora ipsi afferenda erant, quum *iaceat marmoreus* quodammodo defendi queat. Ex mea sententia emendatio Gronovii eam ob causam admittenda non est, quia horti adiectivum postulant, quo divitiae Lucani significentur. Nam ad eas indicandas ipsum Cordubensis nomen non satisfacit propter oppositum *tenui Saleio*. Divitis vero circumscriptionem habes, simulatque, ablativo *marmoreis* sumto, hortos intelligas statuis marmoreis iisque frequentibus exornatos. Plinius epist. VIII, 18. *Fuit enim tam copiosus, ut amplissimos hortos eodem, quo emerat, die instruxerit plurimis et antiquissimis statuis.* Deinde *horti* hoc loco non villae, quae quidem verbi significatio, teste Plinio, antiqua est, sed propria vi sumendi sunt: villae in hortis aedificatae erant, vel iis adiacebant. Plinius hist. nat. lib. XIX, c. 4. *In XII tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione ea hortus: in horti vero heredium. — Iam quidem hortorum nomine in ipsa urbe delicias, agros, villasque possident. Primus hoc instituit Athenis Epicurus otii magister. Usque ad eum moris non fuerat in oppidis habitari rura. Romae quidem per se hortus ager pauperis est. Jacere* quod dicit, otiosi est hominis, meditationi aut scriptioni in lectulo lucubratorio vacantis. Horat. Sat. lib. I, sat. IV, vs. 122. *ad quartam iaceo.* Plinius epist. lib. V, ep. 5. *Visus est sibi C. Fannius per nocturnam quietem iacere in lectulo suo compositus in habitum studentis.* Horat. Sat. lib. I, sat. IV, vs. 133. quocum conferas Ovid. Trist. I, el. 10, vs. 37. *Non haec in nostris, ut quondam, scribimus hortis: nec consuete meum lectule corpus ha-*

bes. Vide praeter Bentleium ad Horat. Sat. I, sat. VI, vs. 126. Demster. ad Coripp. pag. 76. Casaubonum ad Sueton. Aug. cap. 78.

SATIRA VII, vs. 96 sq.

Tunc par ingenio pretium: tunc utile multis
Pallere et vinum toto nescire Decembri.

In nonnullis libris particula *nunc* pro *tunc* collocata invenitur, habetque H. Valesium et Barthium defensores. Sed ut brevis sim in iis, quae nulla indigent refutatione, non observarunt illi particulas nunc — tunc — tunc h. l., ut toties tum apud prosaicos tum apud poetas sibi oppositas esse. Vid. Tibull. lib. I, eleg. IX, 29—31. et Tursell. sub p. tunc.

SATIRA VII, vs. 104.

Quis dabit historico, quantum daret acta legenti?

Dubii et incerti sunt interpretes de significatione verborum *acta legenti*; plures iurisconsultum intelligunt, cuius tamen praemii desperatio infra vs. 106—137. ostenditur. Rupertus designari anagnostam falso putat, sed ipsi postea, ut solet, transire visum est in partes Achaintrii, qui vulgatam explicationem veram statuit, obscuritate, quae inest, non sublata. Ex mea sententia *acta* h. l. non sunt acta senatus, sed populi, *diurna* a Sueton. Caesar. c. 20. Claud. c. 41. Tacit. Ann. lib. XVI, cap. 22, XIII, c. 31. *publica* a Tacit. Ann. lib. XII, c. 24. et Sueton. Tiber. c. 5. dicta, in quae, quidquid Romae minus insigne (nam res illustres Tacito teste lib. XIII, cap. 31. annalibus mandabantur)

factum erat, ut nativitates, mortes, matrimonia, divortia, supplicia, aliaque, referebantur. Hoc sensu *acta* etiam apud Iuvenal. Sat. II, vs. 136. et Sat. IX, vs. 84. obvia sunt. Ea scribis et tabellariis conficienda curabant diversis temporibus vel censor, vel quaestor, vel aerarii praefecti, et quoties quis ex iis de re aliqua doceri vellet, demandabatur ad scribas, qui acta vel recitarent, vel ad introspiciendum proponerent. Vid. Lips. ad Tacit. Ann. lib. V, cap. 4. in Excursu. Bulenger. de imperio VI, 57. Petiscus ad Sueton. Iul. Caesar. cap. 20. Iam vero manifestum fit, cur historiarum scriptor cum acta legente componatur: inter utrumque similitudo quaedam est, ille historiam conscribit, hic acta diurna, sed quamquam huius opera facillima sit, tamen inde, si acta illa Romanis recitet, maiorem habebit fructum, quam historicus, qui res illustres magno cum studio et labore explicatos proponit. Exemplum eiusmodi scribae seu actuarii, sed ab hoc quodammodo diversi, exstat apud Petron. Satir. cap. 53. *Et plane interpellavit saltationis libidinem actuarius, qui tamquam urbis acta recitavit.* et iam sequuntur res notatae.

Vs. 106. excudendum curavi indicativum *praestant*, monente Wunderlichio Obss.. in Tibullo p. 164.: haud scio an ad Graecorum rationem, ex auctoritate codicum *praestant* reponendum sit. Nam illam Iuvenalis sequitur XIV, 211. *Dic, o vanissime, quis te Festinare iubet.*

SATIRA VII, vs. 108—110.

Ipsi magna sonant, sed tunc, quum creditor audit,
Praecipue, vel si tetigit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen.

Causidici quoque, dicit poeta, parvum laboris sui praemium accipiunt, et si quid accipere volunt, opus est iis maxima vocis intentione. Huc referenda censeo *ipsi magna sonant*, renitente quidem Heineckio, sed falso: nam *ipsi*, ut rebus saepenumero personae per pronomen *ipse* aptantur, oppositionem facit verborum *magno comites in fasce libelli*, h. e. Cramero interprete, quidquid scripto compositum ad causam sive actoris sive rei agendum, fasciculo comprehensum, secum in iudicium adfert advocatus. Non sufficit igitur, domi res ad causam necessarias elaborasse, sed ipsis etiam in foro, praecipue tum, quum coram clientibus litigant, maximopere enitendum est, ut mercedem, re peracta, capiant ex patrocinio. Creditor quidem, ut qui rem suam iustam esse confidat, causidicum non ita instigat et urget, quam debitor, qui solvere neget, ideoque in iudicium vocatus omnia adhibeat, quibus, praesertim in re dubia (i. e. *nomen dubium*, ad quod doctam Crameri Ict. notam videas.), et spe aliqua vincendi relicta, a debito liberetur. Hic enim ipse, praeterquam quod defensorem vehementer excitat ad pugnandum, magnum quoque codicem affert, non expensa et accepta, ut plures voluerunt, continentem, sed scriptorum multitudinem, quae gravia rei agendae argumenta complecti simulat, ut adversarii accusatio redarguatur. Sic verba

ex parte iam Britannicus explicuit, eique tacite assentitur Cramerus, reiectis Ruperti, Heineckii, Achaintrii aliorumque explicationibus.

Vs. sequenti sub *'cavi folles*, quod itidem Britannicus, praeeunte scholiasta, recte vidit, os ipsum, buccae, non pulmones intelligendi sunt: cui quidem interpretationi inservit potissimum Sat. XI, vs. 34. *dic tibi, qui sis, Orator vehemens, an Curtius an Matho, buccae.* Idem etiam I. Matth. Gesnerus affirmat in lexic. his verbis: Folles per metaphoram appellat ora causidicorum, qui lucri cupiditate falsas agunt causas, in quibus effundunt magnas offas mendaciorum.

SATIRA VII, vs. 124.

Aemilio dabitur, quantum petet, et melius nos
Egimus:

Sic scribendum censeo, non, quod Rupertus recepit *quantum libet*, quae sane et paucorum librorum scriptura est, et alteri vi postponenda videtur. Potest quidem illud *quantum licet* defendi, si Claudianam legem in auxilium vocamus: ex ea enim sub verbis *quantum licet*, auctore Tacit. Annal. lib. XI, cap. 7. dena sestertia, i. e centum aurei intelligendi sunt, quos Sueton. Ner. Claud. vit. cap. 17. *certam litigatorum et iustam mercedem*, et qui potissimum hic afferendus erat, Ulpianus Digest. lib. XIII, cap. 12. *licitam quantitatem* appellat. Vide Samuel. Petisc. ad Sueton. l. l. et Brummer. ad legem Cinciam cap. 4. Accedit etiam, quod, dum poeta pauperis et divitis causidici conditionem comparat, quatenus ille a clientum gratia pendeat, et unum

aureum accipiat, hic vero, quantum liceat, i. e. centum aureos, tanta est utriusque fortunae discrepantia, ut ideo illa lectio tolerari possit. Verum si alteram consideras scripturam, ea recepta, multo splendidior sors divitis patroni est, cui non certa quaedam merces destinata sit, qui non; quod liceat, sed quod postulet, accipiat, quum contra pauper qualicumque dono contentus esse debeat. Deinde tenendum est, poetam, quae omnino satiricorum scriptorum consuetudo est, res interdum non ita describere, ac revera sint, sed eos exaggerare, quod etiam hoc loco sumi potest, nisi potius causidicorum avaritiam, quamvis lege cautam, improbitate forensi neglectam fuisse statuas; id quod ex legis renovatione apparet. cf. Lips. ad Tacit. l. l. et interpp. ad Plin. epistoll. lib. V, ep. 21.

Verbis proximis *et melius nos egimus*, quae pauperum patronorum sunt, Rupertus et Achaintrius particulam *et*, ille in *ut*, h. e. *quamvis*, *ut ut*, *quomodocumque*, Gronov. obss. lib. III, cap. 6. laudans, hic in *At*, puncto post *petet* posito, mutaverunt, nescientes, eam quoque, ut Graecorum καὶ pro καίτοι, non raro *et tamen*, *sed tamen* significare. Cf. Satir. XIV, vs. 140. *Et minus hanc optat, qui non habet.* Sat. I, vs. 74. *probitas laudatur et alget.* Satir. XIII, vs. 91. *Hic putat esse Deos et peierat*, ubi unus codex *at peierat* habet, Satir. I, vs. 47. *et hic damnatus inani Iudicio.* quam idem Achaintrius temere attentat, codd. Parisinos sequutus.

Cum ironia quadam addit poeta, cur Aemilio postulata non denegentur.

huius enim stat currus aëneus, alti
Quadrijuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur
Eminus et statua meditatur proelia lusca,

quamobrem particula *enim* optime per nostrum *freylich* reddenda est. Vid. Tursellin. de particull. sub voc. *enim*. Sola nobilitas ei facundiae famam, auctoritatem, lucrum affert: quo magis enim quis maiorum gloria commendatur, eo maior ipsi clientium affluentia, gratia et favor. Idcirco Aemilius currum triumphalem et quadrigas in vestibulo collocatas, seque ipsum in equestri statua ostentat hastile vibrantem, et proelia in animo exercentem. Hoc statu simul clientibus indicare voluit, qualem se gerat in actione forensi. Atrox eius effigies et totus corporis habitus erat, quem causidici, quantum ex Tacito in dialogo de oratoribus cap. 13. coniicere licet, adamasse videntur. Ibi Maternus, exhibita iuris peritorum et poetarum vitae descriptione, ita finit: *statuar tumulo, non moestus et atrox, sed hilaris et coronatus.* His etiam sequentia conveniunt, *et statua meditatur proelia lusca*, quae verba nobis causidici severe cogitantis et ad pugnas forenses se comparantis imaginem repraesentant. Nam, sepositis aliorum interpretum explicationibus, ego quoque scholiastae sententiam amplector, qui statuam luscam eius dicit, cuius oculus introrsus cedit, hohläugig, blödsichtig. Attamen, ut totum horum verborum sensum capiamus, Plinii hist. natur. lib. XI, cap. 37. afferam,

qui dicit: *Magna cogitatio occaecat, abducto intus visu.* Hinc egregia veterum traditio explicanda est, qua poetae prisci, ut Homerus et apud hunc Demodocus Od. VIII, vs. 63 sqq. caeci finguntur. Caecitas nempe animi vegeti et res secum volventis recessum indicat. Quod etiamsi poeta noluerit verbo *lusca* significare, hoc tamen certum esse videtur, Aemilii statuam oculum introrsus cedentem habuisse, quo severa et acerrima causarum cogitatio in vultu exprimeretur. Ad hanc explicationem adducimur quoque proximo *meditatur.* Cur vero talem sibi posuit statuam, vel ponendam curavit? Honoris enim causa causidicis quoque statuae collocatae sunt, quod compertum habemus ex Martial. epigr. IX, ep. 68. et Tacit. in dialog. de oratoribus cap. 8. et 11. Nulla alia erat causa, quam ut non solum rivales suos deprimeret, sed etiam clientium ingenia falleret. Nam pergit:

Sic Pedo conturbat, Matho deficit: exitus hic est
Tongilli, magno cum rhinocerote lavari
Qui solet et vexat lutulenta balnea turba.

h. e. iisdem artibus Pedo, alius nobilis et dives causarum patronus, aemulos vincit et pervertit, sed Matho, pauper causidicus, qui divites, ne omnes sibi clientes deducantur, opum ostentatione et magnificentia imitatur, denique aere alieno obruitur, neque alius est Tongilli exitus. Cf. Iuvenal. Sat. X, vs. 39. *Quis enim te, deficiente crumena Et crescente gula, manet exitus.* Ita Ruperto et Mansoni, ut ad alia, sic etiam hic maxime discordibus, ex parte tantum assentior. Non debebat enim ab hoc, praecedente Lubino, *deficit* in *de-*

iicit contra libros imputari, nec ab illo verba, *Sic Pedo conturbat* de defectu opum intelligi. *Conturbat* i. e. rationes pauperum causidicorum, facit divitiarum suarum ostentatione, ut illis, qui eum imitentur et quodammodo imitari cogantur, decoquendum sit. Terentius Eunuch. act. V, sc. 2, vs. 28. metaphorico sensu: *Ita conturbasti mihi rationes omnes.* Iuvenal. Satir. XIV, vs. 94. Martial. lib. VII, ep. 26. *conturbator aper.* et X, ep. 96. *conturbator macellus.* vid. Rader. ad h. l. Quod autem Manso contra Ruperti interpretationem monuit, neque ante neque post illos versus poetam aes alienum, quod causidici Romani contraherent, respicere, hoc eatenus tantum verum est, quatenus id non disertis verbis exprimitur. Nonne vero pompa et magnificentia eorum commemoratur? Nonne infra annuli conducti? Qui si pauperes erant, unde tantas potuerunt impensas facere, nisi aere alieno contracto? Deinde, reiecta illa sententia, nescirem, quomodo particula *tamen* vs. 135. explicanda esset. Etenim sententiarum complexio haec est: quamquam causidici pauperes eo, quod divites videri volunt, in summas angustias rediguntur, tamen iis hoc multum utilitatis affert.

Vs. 130. in verbis *magno cum rhinocerote* malim scholiastam sequi, quam eos, qui vas unguentarium ex naso rhinocerotis confectum existimabant. Ille dicit: magno gutto, quod sicut rhinoceros, sit ingentis nasi." Quae est, ut ait Barthius ad Statii Thebaid. lib. II, vs. 144. verissima mens poetae. Nam quantum cornu etiam huius ferae, ut inde tanta vasa fierent? Luxum vero in his talibus naso extenso nimirum corneis,

fuisse valde antiquum, docent Theophrasti characteres cap. V. *περὶ Ἀρεσκείας· ἀμέλει δὲ καὶ πίθηκον θρέψαι δεινόν, καὶ τίτυρον κτήσασθαι· καὶ Σικελικὰς περιστερὰς καὶ δορκαδείους ἀστραγάλους, καὶ ῥιγοκέρωτας τῶν στρογγύλων ληκύθους.*" Ita adauget Iuvenalis, ut solet, causidici inanem divitiarum ostentationem.

SATIRA VII, vs. 134.

Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.

Sub *stlataria purpura* nonnulli peregrinam, transmarinam intelligunt, stlata h. e. nave mari advectam, ideoque pretiosam. Stlata enim, auctore Festo, genus erat navigii latum magis, quam altum, sic appellatum a latitudine, sed ea consuetudine, qua *stlocum* pro *locum* et *stlitem* antiqui pro *litem* dicebant. Vid. Quinctil. lib. I, 4, 16. Quam explicationem idcirco non probo, quia verba de *Tyrio filo* apposita sunt. Ac significantius iam scholiasta explicavit adiectivum per *illecebrosa*, quo graeco-latinam glossam *ἐργόμωκος* referendam ducunt: alii idem paene, artificiosa sane interpretatione, intelligunt, scilicet vestem fallacem et deceptricem, cuius splendore, veluti piraticae, (nam *stlatam* Caper de orthographia edit. Putschii pag. 2246 ratem piraticam appellat) spolientur venditores divitem censentes, qui eam gestet. Tale quid, si totius loci sententiam consideramus, verbo indicetur necesse est, quamquam melius esse existimo, stlatariam h. l. de lata et ampla veste purpurea intelligi, ita ut, qui ea et pretiosissima et splendidissima ornatus in publico appareret, ditissimus

haberetur, eaque, tamquam qui res magno pretio emere posset, venditores deciperet. Hinc quoque aptissimum est *spondet.*

SATIRA VII, vs. 141 sq.

Respicit haec primum, qui litigat, an tibi servi
Octo, decem comites, an post te sella, togati
Ante pedes.

Multi causarum patroni, qui pauperes erant, nec clientes habebant, cogebantur, ut divites viderentur, comites sibi conducere. Ad hanc consuetudinem Martialis lib. II, epigr. 51. Saufeium quendam hominem pauperrimum deridens alludit:

Comitatus iste sit, precor, tuus numquam.
Hos illi amicos, et greges togatorum
Fusciculenus praestat, et Faventinus.

Omnino divitiarum ostentatio a causidicis vel oratoribus postulabatur, non vera eloquentia. Quare causarum patronis ad sellam portandam non sex, sed octo servi necesse erant. Nam octophoro circumferri tunc temporis lautiorum erat. Vide Lubinum, Britannicum ad h. l. Beroald. ad Sueton. Calig. 43. Raderum ad Martial. II, 81, pag. 283. Boettiger Sabin. pag. 429, 455. Deinde eorum lateri decem comites, qui stipatorum numerus nescio utrum pro rotundo habeatur, an illo tempore consuetus fuerit, adhaerere debebant; praecedere togati, qui ob id officium anteambulones a Martiale dicuntur. Martial. lib. IX, epigr. 81, vs. 3. *Deinde haerere tuo lateri, praecedere sellam.* Alibi etiam togatorum turba subsequebatur. vid. interpp. ad

Plin. Panegyric. cap. 76. quae comitandi consuetudo, si lectionem (reliquae inanes sunt) *comites post te, an sit sella*, sumeremus, hoc loco notata esset: sic quoque membra *comites post te, togati ante pedes* melius sibi responderent. Cf. Martial. II, ep. 51. *Cinctum togatis post te et ante Saufellum.* Heindorfius eiusmodi aequalitatem desiderans, verbis *an sit sella* deletis, ita scripsit:

Octo, decem comites post te, totidemque togati
Ante pedes.

Verum ut de audacia, quae hanc emendationem genuit, taceam, eam non probaverim idcirco, quia, si sella omitteretur, commemoratio octo servorum perobscura et inutilis esset. Bona est vulgata illa, quam nunc exhibent editiones, et ut sedem suam teneat, laudabo Martial. lib. II, ep. 57. quod potissimum huc afferendum erat:

Hic, quem videtis gressibus vagis laetum
Amethystinatus media qui sicat septa;
— — — — — — —
— — — — — — —
Quem grex togatus sequitur et capillatus
Recensque sella, linteisque lorisque.

Iuvenalis dicit: Simulatque in forum veneris, ille qui litigat, antequam te consulat, respicit, an clientes lateri tuo adhaereant, an togati praecedant, an sella sequatur.

SATIRA VII, vs. 152 sq.

Nam quaecumque sedens modo legerat, haec eadem stans
Proferet atque eadem cantabit versibus isdem.

Haec non de praeceptore, sed de discipulis ea, quae ille dictaverat memoriae imprimenda, per ordinem recitantibus, accipienda sunt. Inter duas, quae ad h. l. in libris exstant lectiones, *proferet* et *perferet* subtiliter discernendum est: haec usque ad finem recitare, sicuti apud ictos causam, actionem, quaestionem perferre, usque ad exitum deducere significat. Vid. Forcellin. in lexico s. h. v. nam praepositio *per* in compositis nonnumquam continuationem quandam notat. Illa tantum indicat, discipulos recitare declamationem. Atque praeter hoc poeta nihil potuit dicere, nec voluit: nam discipulos, quae memoriae commendassent, recitando absolvisse, iam per se clarum est, nec ulla indigebat commemoratione. Deinde simul illa lectione indicatum esset, quasi taedium creasse rhetoribus, quod discipuli totam declamationem ad finem deducerent, neque memoria eos deficeret: quod tamen ab hoc loco alienum est. Opponuntur inter se simpliciter *legere* et *proferre*, nec aliud quidquam illis aerumnas affert, quam quod ex tanta discipulorum multitudine singuli quique eandam rem, ac ne variata quidem oratione, repetunt.

SATIRA VII, vs. 156.

quae veniant diversa a parte sagittae,
Nosse velint omnes.

Hoc loco variae lectiones notantur, *diversa parte*, *diversa a parte*, *diversa e parte*. Rupertus recepit *diversae forte sagittae*, sed vitiose: nam *forte* hoc loco stare nequit, quia non casu quodam in adversariium sa-

gittae, sive argumenta diriguntur. Ut in commentariis eius *forte* nonnumquam pro fortasse invenitur, ita turpiter hunc in locum irrepsit. Vide Passow. ad Pers. pag. 359 sq. de perverso h. v. usu. Legendum est, et sic quoque Heindorfius iubet, *diversa a parte*, quamquam *diversa parte* plurimis Codd. commendatur, sed, ut opinor, praepositione *a* absorpta, sicuti *diversa e parte*, item a librariis ortum videtur. Partes diversae sunt, quae sibi adversantur, quae inter se litigant, vel decertant. Ovid. Amor. Remed. vs. 50. *diversis partibus arma damus*. Sueton. Caes. cap. 20. *diversa factio*. de Grammat. cap. 9. *diversae partis advocatus*. Quare interdum *diversus* in Codd. cum *adversus*, ut hic quoque in uno, commutatur. Propert. lib. I, el. III, vs. 31. *diversas percurrens Luna fenestras*. i. et ex adverso positas, an ripa diversa. Vid. Burmann. II. ad h. l.

SATIRA VII, vs. 175 sqq.

Tenta,

Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti
Lautorum pueros, artem scindens Theodori.

Chrysogonus et Pollio citharoedi erant Romae maxime honorati: quos qui rhetores fuisse contendunt, errant idcirco, quia iidem ut citharoedi Sat. VI, 74 et 387 commemorantur. Quare peropportuna in eos Achaintrii est indignatio, qui meliora commutent pravis: at ipse ob alteram adnotationis partem persringendus est. Nam Theodorus neque citharoedus fuit, neque homo cinaedus, sed rhetor ille celeberrimus, quem Tiberius Rhodi docentem audiverat, et a quo Theodorae nomen

traxerunt. Vid. Quinotil. 3, 1, 17. ibique Spalding. Neque verba *scindens artem Theodori* recte intellecta sunt. *Scindere* non significat h. l. *deridere*, quod, si contextum verborum spectaveris, ineptum dices, multoque minus *minutatim quasi dividere et pueris ingerere i. e. docere.* Citharoedi illo tempore in urbe dominabantur, arte ipsorum plurimi aestimata, aliis ut nullus amplius ibi locus esset, nullum praemium. *Res haud mira*, inquit Iuvenalis Sat. VIII, vs. 198, *citharoedo principe.* Huno insignem musicorum favorem rhetorum contemtio secuta est, et simul studiorum sterilitas. Hinc *scindere* idem est, quod *dilacerare, opprimere*, quod nos dicimus *zu nichte machen, zu Schanden machen.* Comparandum est cum his verbis epigramma 54, lib. V. Martialis, ubi patri anxie quaerenti, cui tradat filium magistro, iocose suadet: *Omnes grammaticosque rhetorasque Devites, moneo, nihil sit illi cum libris Ciceronis, aut Maronis; — si versus facit, abdices poetam. Artes discere vult pecuniosas? Fac discat citharoedus, aut choraules.* Quae verba cum Suetonii vit. Vespasiani cap. 18, 19. comparata, ubi narratur, Terpno Diodoroque citharoedis pro una productione data ducenta, Latinis vero Graecisque rhetoribus annua centena constituta fuisse, inde egregie explicantur. cf. Casaubonum ad h. l. Praeterea Martialis epigr. 4, lib. III. se ipsum non prius, quam citharam tendere didicerit, Romam rediturum dicit. Quid, quod ipse Iuvenalis de eiusmodi hominum in urbe confluxu Sat. III, 60—65. queritur?

Vs. 174. debebat Rupertus *vilis tesserta* coniungere, sententia, ut quisque videt, id postulante, quamquam apud Persium Satir. V, vs 74. *scabrosum tesserula far* invenitur. Frumenti largitio menstrua erat, tesseris, sive symbolis ante datis, quae tamen saepe, quamquam non licitum erat, parvo pretio vendebantur. Vid. Becmanni scriptt. (Beyträge) tom. V, pag. 310 — 313.

SATIRA VII, vs. 190—193.

felix, et pulcer et acer:

Felix, et sapiens et nobilis et generosus
Appositam nigrae lunam subtexit alutae:
Felix, orator quoque maximus et iaculator,
Et, si perfrixit, cantat bene.

Cui fortuna favet, dicit poeta, is et corporis et animi bona possidet. *Acer* non est argutus, subtilis in dicendo, id quod proximis *orator maximus* indicatur, sed quum corporis pulchritudini oppositum sit, de ingenii vigore et alacritate intelligatur — ein Mann von feurigem Geist, von Genie. Falsissimam deinde appellamus verbi *iaculatoris* explicationem, quem omnes interpretes sophistam esse putarunt, qui adversarium dictis et argumentis, tamquam telis, urgeat. Quemadmodum vero iaculari dicta et sententias, vel iacere, iactare, etiam torquere (Iuvenal. Sat. VI, vs. 173), nec minus iaculator verborum de eo, qui acute quid, vel acerbe in aliquem dixit, usurpatur, Barth. ad Stat. lib. I. Theb. vs. 411. Rupert. ad Sat. VI, vs. 449 sq. et ad h. l., ita non potest idem per se *iaculator* significare. Neque vicinitas verborum *orator maximus* efficere po-

test, ut tolerabilior quodammodo fiat ista explicatio. Graeci quidem eandem metaphoram a telis petierunt, sed profecto nusquam eo sensu τοξεύτης, vel simile quid simpliciter positum, reperietur. Vide Wyttenbachium ad Plutarch. de S. Num. Vind. pag. 6, qui tamen, Iuvenalis loco citato, vulgatae explicationi adstipulatur. Quidni potius iaculatorem proprio significatu intelligamus? Nimirum insolentem eiusmodi et in exspectatam contrariarum notionum iuncturam Iuvenalis consuetudo dicendi non repudiat. At ne ista quidem excusatione opus est, si Horatii verba Sat. lib. I, sat. III, vs. 124 sq.

Si dives, qui sapiens est
Et sutor bonus et solus formosus et est rex:
Cur optas, quod habes?

consideres. Etenim belle ac lepide hoc dictum est, eum, quem fortuna adiuvet, omnia posse, tam sententias vibrare, quam iacula in adversarium dirigere. Alia in libris quibusdam invenitur scriptura *ioculator*, aeque condemnanda ac *ioculari* pro iaculari ap. Livium lib. 42, cap. 64. ibique Gronov.

In sequentibus noli Ruperto credere, *etsi* pro *et*, *si* una voce scribere suadenti. Tunc caret enantiatio particula coniunctiva, quae h. l. maxime necessaria est. *Si* tamen pro *etsi* nonnunquam ponitur. Cic. de Offic. lib. III, cap. 8. extr. *Satis enim nobis persuasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil iniuste esse faciendum.* Nep. in Phoc. cap. 1. *simulque admonerent, si ipse his facile curaret, liberis tamen suis prospiceret.*

SATIRA VII, vs. 213.

Sed Rufum atque alios caedit sua quaeque iuventus

Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit. In quibusdam libris invenitur *quaque* pro *quemque*, quod cave ne corrigas. Hoc quoque usus linguae comprobat. Cicer. de Finib. V, 17. *nunc autem aliud iam argumentandi sequamur genus, ut non solum, quia nos diligamus, sed quia cuiusque partis naturae et in corpore et in animo sua quaeque vis sit.* ubi Ernesti haeret, quamquam idem ad Sueton. August. 66. codicum lectionem *sui cuiusque ordinis principes* bene restituit. Vid. Oudendorp. ad Sueton. Aug. l. l. et Wolfium c. 40. Ducker. ad Liv. 8, 22, 6.

SATIRA VII, vs. 218.

Discipuli custos praemordet Acoenonoëtus.

Inter varias huius loci lectiones duae tantum sunt, quae commemorari merentur, *Acoenonoetus* et *Acoenonetus*. Illa designat secundum scholiastam hominem communi sensu carentem, i. e. qui omnes sibi tantum, suisque commodis natos arbitratur, neque eorum, quibuscum vivit, rationem habet, sive, ut breviter dicam, qui *κοινονημοσύνης* particeps non est. Vide Gatack. ad M. Antonin. p. 22, lib. VII. Salmasium ad Histor. August. p. 100. et Casaubon. p. 80. Huiusmodi discipulorum custodes hodieque in scholis passim inveniuntur, non servi, sed liberi homines, quo magis mirandum sit, quod non intelligant, *κοινονημοσύνη* e medio sublata, res, in scholis praesertim, non prospere

evenire. Altera scriptura, quae commemoratu digna est, a Grangaeo commendatur, sed receptae, si verborum sententiam spectamus, postponenda.

SATIRA VIII.

Vs. 1—9.

Poeta, veram nobilitatem non facere atrium imaginibus plenum, sed vitam morum integritate et honestate ornatam demonstraturus, ab initio oratione fervidiore excandescit:

Stemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri pictosque ostendere vultus
Maiorum et stantes in curribus Aemilianos
Et Curios iam dimidios humerosque minorem
Corvinum et Galbam auriculis nasoque carentem?
Quis fructus generis tabula iactare capaci
Corvinum, posthac multa deducere virga
Fumosos equitum cum dictatore magistros,
Si coram Lepidis male vivitur?

Versum, qui in his septimus est, Rupertus, praeeunte Iuvenco, spurium censuit, quia quodvis fere verbum in eo suspectum sit. Repetitio Corvini nominis primum quid sibi velit nescit, quum eius loco multi potuissent commemorari alii: deinde haeret idem in vocabulo *posthac*, denique in varietate lectionum *contingere* et *deducere*. Sunt etiam codices, in quibus versus ille non exstat. Achaintrii non est quod commemorem sententiam, qui se, ut alibi, etiam hoc loco Ruperti praestat asseclam. At vero alii in primis Lipsius et Han-

dius, patrocinium verborum susceperunt, sed parum probabili et interpretandi et interpungendi ratione. Ille, scelus est, inquit, dubitare de germanitate. Neque enim de trivio versus est: et ad rem nimis aptus. Multam virgam vocat multos lictores. Nam dictator XXIV fascibus utebatur: magister equitum sex." Quae tamen explicatio, ut antea iam dictum, valde displicet, vixque ex ea bonum depromere sensum poteris. Cl. Handius autem, qui versum illum non tantum bonum, sed maxime necessarium censet, incidit post *capaci*, commate post Corvinum sublato: quam distinctionem, etiam Orellio in eclogis latt. poett. probatam, reiecit doctissimus eius censor in Ephem. litt. Ien. an. 1823. n. 77, pag. 134 sq. Displicet vehementer durities, duobus infinitivis *iactare* et *deducere* a se dependentibus profecta: neque gratum esse, quod incertum sit, *Corvinum*, an *magistros* h. l. subiecti vicem teneat. Hactenus assentior viro illi, non autem, quod *Corvinum* mutare vult in *Fabricium*, e codice P. Scriverii in Th. Crenii animadv. philol. et histor. P. XIII. et Chemnicensi, quem Rupertus h. l. neglexit, notatum. De industria verbum *iactare* a poeta electum, eique Corvini nomen adaptatum est. Itaque quodvis aliud nomen poni non potuit, optime iterari Corvini. Nam fuit Corvinorum et antiquissima et splendidissima familia, a corvo M. Valerii contra ferocem Gallum adiutore cognominata. Qua de re Ovid. Fast. lib. I, vs. 601 sq. ita testatur:

Ex uno quidam celebres, aut torquis ademtae,
Aut corvi titulos auxiliares habent.

Quidni igitur oriundo ab illo tam vetere et illustri ge-

nere Corvinum eius principem et auctorem, etsi iam antea nominatum, rursus iactare liceat? *Fabricium* sine dubio originem trahit a librariis, quibus repetitio Corvini molesta videbatur, sicuti non alia de causa versus septimus in multis codicibus omissus est. Sed iam Servius ad Virgil. Aen. libr. IV, vs 138. dicto suo satis tuetur eiusmodi poetarum repetitiones. Amat poeta, inquit, iterare voces vel pretiosas, vel necessarias, vel optabiles. Hoc quidem proxime de Virgilio, sed valet etiam de Iuvenale et aliis poetis: nam iteratum h. l. Corvini nomen ad voces pretiosas, quas ille dicit, pertinet. Contra fieri potest, et saepe factum est, ut eadem vox per contemtum recurrat, cuius generis duo afferam ex Iuvenale exempla. Satir. VIII, vs. 159—160.

Obvius assiduo Syrophoenix udus amomo
Currit, Idumaeae Syrophoenix incola portae.

ubi idem nomen vel ob longitudinem, et quem inde haberet aculeum, poetae ita placuisse videtur, ut ab eo bis poneretur. Idcirco etiam hic ambo versus in duobus codd. Schoenbornensi II, et Gothano I. in unum coaluerunt, quod itidem factum videmus Satir. II, vs. 24. - cf. Rupert. Alterum exemplum in satir. VIII, vs. 194 sq. invenitur, de quo suo loco dicetur.

Iam ad reliqua veniamus. In codicibus optio data est inter *deducere* et *contingere*: hoc tamen in paucioribus libris exstat et glossa videtur, quia de affinitate indicanda usitatissimum est, Satir. IX, vs. 62. Liv. lib. XXIV, c. 22. *Quicumque aut propinquitate, aut affinitate, aut aliquibus ministeriis regiam contigissent.* Sueton. vit. Neron. cap. 32. *quo fuissent ullae familiae, quas ipse*

contingeret. vit. Aug. cap. 4. *a matre magnum Pompeium arctissimo contingebat gradu.* vit. Galb. cap. 2. *nullo gradu contingens Caesarum domum.* Vid. Gesneri et Forcellini lexicon. Illud autem praeferendum est, utpote proprie et exquisitius dictum de stemmate, in quo inde a gentis auctore linearum flexuris, quibus maiorum imagines et nomina illigata sunt, cognationum gradus derivantur. Auson. Panegyr. 15, 2. *deductum ab heroibus genus ad deorum stemma replicare.* Iuven. sat. XIII, vs. 207. *longa deductis gente propinquis.* Persius sat. III, vs. 28. utitur verbo simplice: *Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis?* Statius Silv. lib. III, silv. 3, vs. 44. de eadem re *demittere. Nec proavis demissum stemma.* et Martial. lib. V, ep. 36. *repetere. longumque pulcra stemma repetit a Leda.* Hinc etiam non dubium est, quin *virga* recte intelligatur de ramis, i. e. lineis in tabula genealogica discurrentibus ad imagines pictas et cognationes signantibus. *Multa virga* dictum est, ut satir. IV, vs. 47. *multo delatore.* Persius satir. III, vs. 73. *multa fidelia.* Tibull. lib. I, eleg. III, vs. 28. *multa tabella.* Martial. lib. V, epigr. 23, vs. 8. *Quaeque trahi multo marmora fune vides.* Nemesian. Cyneg. vs. 82. *et milite multo agmina.* Cf. Wunderlich. observatt. ad Tibull. pag. 68. Neque potest *multa,* ut doctissimus censor Orellii eclog. poett. latin. voluit, cum *mutila,* quod apud Crenium in uno codice invenitur, commutari: magna vis verbo subest, idque rectum esse apparet e comparatione cum Senec. de benef. lib. III, cap. 28. *Qui imagines in atrio exponunt, et nomina familiae suae longo ordine,*

ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima aedium collocant.

Postremo, cur Rupertus *posthac* alienum ab h. l. dixerit, nescio: equidem non offendo in hac particula, quam ita explico: postquam se Pontícus de stirpe a Corvino derivanda iactavit, transit *deinde*, *post hunc* ad illos, qui inter ipsum et Corvinum medii sunt.

Vs. 8. pro *fumosos* plures libri, sed deterioris notae habent *famosos*, quae utriusque vocabuli commutatio non infrequens est. Virgil. Cop. vs. 3. *Ebria fumosa saltat lasciva taberna.* ubi vid. Heyn. et Ilgen. *Famosus* h. l. ne dignum quidem est interpretatione, nam praestantia lectionis *fumosos* per se patet, et satis defenditur locis, quos Sagittarius de ian. pag. 183. affert.

SATIRA VIII, vs. 23—29.

Sanctus haberi
Iustitiaeque tenax factis dictisque mereris,
Agnosco procerem. Salve, Gaetulice, seu tu
Silanus, quocumque alio de sanguine, rarus
Civis et egregius patriae contingis, evanti
Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri
Invento.

In his paucis versibus plura notanda sunt, sive verba singula, eorumque constructionem, sive totius sententiae ambitum et ordinem spectes. Primum agnoscas singularem *procerem*, quem Sosipater Charisius instit. gramm. lib. I, pag. 27. ed. Basil. negat inveniri, quemque Barthius in Adversar. pag. 146. contra omnes gram-

maticorum canonas formatum dicit: his duumviris tertius assentitur grammaticus Reisigius, qui, ut tollat inusitata, ita scribi suadet:

Sanctus haberi
Iustitiaeque tenax factis dictisque mereris,
Agnosco. Procerum, salve, Gaetulice, seu tu

Sed ex verborum contextu malim id cum verbo *agnosco*, quam cum sequentibus coniunctum, nec satis idonea *procerem* mutandi causa est, quod alibi accusativus singularis non inveniatur. Delevi deinde post verba *factis dictisque mereris* interrogandi signum, quod saepenumero, etsi necessarium non est, ubi particulam conditionalem *si* in protasi facile supplere possumus, a criticis in auxilium vocatum est. Vid. H. Vossium ad Virgil. Georg. lib. II, vs. 519 et notata ad satir. III, vs. 194 sq.

Neque iustam Schraderus causam habuit verba *quocumque alio de sanguine* mutandi in *quorumve alio*, quum in enuntiationibus cum uno alterove casu pronominum *quicumque*, *quisquis* aliorumque incipientibus apud Iuvenalem copula haud raro desit. Sat. III, vs. 133. Sat. XIII, vs. 83. Sat. VIII, vs. 36. Sat. XV, vs. 99.

His graviora, ad interpunctionem pertinentia, addam, quibus extrema verba

Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri
Invento:

superioribus aptius et concinnius adligentur. Nam sententiarum iunctura, quam in editionibus videmus, languida est, atque hic versus ipse tam nude positus ve-

hementer displicet. Agitur ibi de Aegyptiorum cultu, qui, Osiri mortuo vel interfecto, alium prioris virtutibus simillimum cum luctu et planctu quaeritantes salutabant inventum, et prae laetitia exclamabant: *Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν.* Herodot. lib. III, cap. 27. *οἱ δὲ ἐπίτροποι ἔφραζον, ὡς ὁφι θεὸς εἴη φανείς, διὰ χρόνου πολλοῦ ἑωθὼς ἐπιφαίνεσθαι, καὶ ὡς ἐπεὰν φανῇ, τότε πάντες οἱ Αἰγύπτιοι κεχαρηκότες ὀρτάζοιεν.* Ad hanc Aegyptiorum consuetudinem quum Iuvenalis verba aperte referenda sint, quumque, quemadmodum Aegyptii novum Osirin adepti clamare soleant, ita patriae probum et egregium civem, tandem inventum, prae laetitia salutare libere exhibeant, non est pro hac comparatione diutius dubitandum, quin, maiori interpunctione post vs. 27. sublata, versus illi ita, ut iam signati sunt, coniungantur.

SATIRA VIII, vs. 62 sq.

Sed venale pecus Corythae posteritas et
Hirpini, si rara iugo Victoria sedit.

Si scriptura *Corythae* vera est, equum intelligo, in monte Corytho, vel in regione prope Corythum, Etruriae urbem, nutritum. Sed tum nescio, quod idem Rupertus confitetur, cur Corythae, non Corythi scriptum sit, et priores syllabae, quae breves sunt apud Virgil. Aen. lib. VII, vs. 209. lib. IX, vs. 10 et 719, hoc loco producantur. Sine dubio scribendum est, scholiasta genuinam scripturam per *Coryfe* indicante, Coryfaei sive Coryphaei ex emendatione Schurzfleischii, ut Coryphaeus nomen equi sit, qui saepe celeritate alios

superaverit. Neque Hirpinus vs. sequenti nomen habet a populo Hirpinorum, quamquam equi nominabantur a regionibus, ut Thessali, Appuli, sed nomen fictitium equi Circensis est, quod etiam apud Martial. lib. III, epigr. 63. occurrit, et descendit ex mea sententia ab ἵρπος. i. e. ἅρπος sive ἅρπαξ, lupus, teste Servio ad Virgil. Aen. lib. XI, vs. 785. in lingua Sabinorum, sicuti ab eodem etymo Ovid. Metam. lib. III, vs. 215. rapidus canis Harpyia appellatur. Hinc Hirpinus, ad analogiam Passerini formatus, non differt ab equo, qui alibi Raptor vocatur, i. e. quod palmam aliis currendo praeripiat, et nepos dicitur Aquilonis in vetere lapide apud Lips. epist. centur. III, 26. Sic alia quoque nomina equis a celeritate imponebantur, ut Tigris, Passerinus, Incitatus, Volucer, Oceanus ab ὠκύς. Vide Graevii thesaur. t. IX, pag. 139.

SATIRA VIII, vs. 104.

Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde Sacrilegus Verres.

Mihi quoque non probanda videtur Mansonis coniectura *Dolabellae statuae*, et inde profecta distinctio, quamquam non negem, eam egregiam esse, si iusta vitii suspicio adesset. Sed omnia sana sunt, et quod saepe criticis accidit, ut vel sanissima corrigant, idem h. l. Mansoni. *Inde* et *hinc* significant: his praestantissimorum artificum operibus provinciarum praesides incitati sunt, ut fana diriperent. Et quum Dolabella, notissimus ille, ut Manso censet, Ciceronis gener, sacrilegus esset, non cogitandum est, eum statuas tantum, sed

etiam alias res pretiosas rapuisse, praesertim quum antea praeter statuarios etiam alii artifices nominentur. Languent deinde verba ex Mansonis coniectura, quia, si Dolabella in universum cum Antonio et Verre sacrilegus appellatur, aptius poetae ingenio est, quam si solae statuae, quas ille e provincia deportavit, commemorantur.

SATIRA VIII, vs. 108—112.

Nunc socîs iuga pauca boum, grex parvus equarum
Et pater armenti capto eripiatur agello:
Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum,
Si quis in aedicula Deus unicus. Haec etenim sunt
Pro summis: nam sunt haec maxima. Despicias tu
Forsitan imbelles Rhodios unctamque Corinthum:
Despicias merito.

In explicandis his postremis verbis operae multum studiique interpretes consumserunt, usque dum ea ab Heineckio pro spuriis habita in hunc modum, ut versus ratio constaret, componerentur:

Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum,
Si quis in aedicula deus unus. Despicias tu etc.

Admodum languere verba critico videntur *haec etenim sunt pro summis, nam sunt haec maxima*, nullo modo, ut contendit, absurdissimae tautologiae accusatione liberanda. Eiusdem sententiae Manso est, qui tamen paucis exstirpandis non contentus multo plura, quae non minus ingratas repetitiones contineant, aggreditur, et versuum seriem ita contrahit:

Nunc sociis iuga pauca boum, grex parvus equarum

Et pater armenti capto eripiatur agello:
Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum.
Forsitan imbelles Rhodios unctamque Corinthum
Despicias merito etc.

Heineckius ridet simul interpretes, maxime Rupertum, qui hunc sensum verbis elicere studet: haec, etsi vilia, nunc avaris direptoribus (nisi malis pauperibus sociis) summa videntur, et recte: nam revera iam sunt maxima, summa, optima, quae sociis restant bona." Ac magna profecto huius explicationis perversitas est, quae praeterea augetur dubitatione illa, verba ad miseros socios, an ad provinciarum direptores referantur. Ex mea sententia ea non aliter adhiberi nisi in socios possunt, quod quidem etiam melius intelligitur, ubi cum ea, quae praecedunt, tum quae sequuntur, satis considerata fuerint. Adhortatur poeta Ponticum, ut, si praefectus provinciarum factus sit, cupiditates coerceat, et sociorum pauperum miseratione teneatur. Avaros enim poena manet, praemia bonos.. Nunc nihil fere, inquit, superest, quod provincialibus eripiatur, praeter iuga pauca boum, parvum equarum gregem, nihil praeter lares et quae alia: deplorant res suas deperditas. Spoliatis olim non tantus dolor erat, quam nunc: socii enim locupletes erant. Quare aude, eripias iis haec pauca, quae ad vitam sustentandam reliqua sunt, abducas lares, deos domesticos, vel aliud spectabile signum. Haec enim apud eos summo in honore sunt, et carissima: nam ex his omnes eorum divitiae constant: quibus amissis se destitutos tutela deorum putabunt, et ipsam vitam perdent. Quid tum?

Desperatio animos corripiet, neque tam omnibus fortunis nudari quis potest, quin ad vindictam cultellus remaneat. Imbelles et contemtas gentes expilare potes, sed parce pauperibus et belliçosis. Similem sententiam Tacitus Ann. lib. IV, cap. 72 expressit: *Ac primo boves ipsos, mox agros, postremo corpora coniugum aut liberorum, servitio tradebant. Hinc ira et questus: et, postquam non subveniebat, remedium ex bello: rapti, qui tributo aderant, milites et patibulo adfixi.* Qui igitur accuratius sententiarum a vs. 87 — usque ad 124 cohaerentiam perpenderit, verba illa aliis suspecta, si eadem ratione mecum explicaverit, non amplius frigida et prorsus inania, neque a librariis addita dicet. Ceterum quod ad tot et tam inanes et ingratas eiusdem sententiae et eorundem verborum repetitiones attinet, quas Manso in tam gravi et breviloquente, ut ait, auctore ferre noluit, me aut nullas invenisse fateor, aut inventas non admodum curare, quippe quae Iuvenalis studio sententiarum latius exponendarum non adversentur.

SATIRA VIII, vs. 186 sq.

Clamosum ageres ut Phasma Catulli.
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit.

Mimi, qui hoc loco commemorantur, Q. Lutatio Catullo tribuendi sunt, et Romanis Iuvenalis tempore in deliciis fuisse videntur. *Phasma*, i. e. spectrum, una ex fabulis Menandri erat, quam alii imitabantur, rem suo quisque ingenio tractantes. Quale autem Catulli Phasmatis argumentum fuerit, non constat aliunde, ni-

si quod ex epitheto *clamosum* coniici liceat, id quodammodo convenisse cum Menandri fabula et Plauti Mostellaria, siquidem Donatum ad Terent. Eunuch. vs. 9. audiamus, ubi de Menandreo phasmate inter alia haec enarrat: „Quod cum animadvertisset Adolescens, primo adspectu pulchrae virginis, velut numinis visu, perculsus exhorruit; unde Phasma nomen fabulae.“ Apud Plautum act. II, sc. II, vs. 55 sqq. servus patri redeunti persuasurus, aedes monstris mortuorum infestas esse, dicit:

Abimus omnes cubitum, condormivimus;
Lucernam forte oblitus fueram exstinguere;
Atque ille exclamat derepente maximum.
— — — — — — —
Ait venisse illum in somnis ad se mortuum.

Ex quo loco luculenter apparet, quomodo *clamosum* explicandum sit: certe non erat fabula intelligenda monstris plena, quibus agendis multo clamore opus fuisset.

Altera Catulli fabula Laureolus erat, sic nominata a latronum duce, qui captus in cruce necabatur. Haec historia in mimis repraesentabatur, ita tamen, ut in iis primarias partes servus ageret, qui satir. XIII, vs. 111. fugitivus scurra dicitur, i. e. qui in facetiis effundendis artifex fuit, sed, teste scholiasta, in falso deprehensus effugit, et in fuga retractus crucis poenam persolvit. Se quoque probum et innocentem hominem simulabat, quamquam nequissimus erat. Vid. vs. 109, sat. XIII. *Nam quum magna malae superest audacia causae, Creditur a multis fiducia.* Eiusdem argumenti fabulas composuerunt Laberius et Naevius, vid. Gellii noctt.

att. lib. III, cap. 3. lib. VIII, cap. 13. 14. lib. XVII, cap. 14. Macrob. lib. II, cap. 7., eaeque Romanis iucundae erant, sed multo iucundissimum illis temporibus Catulli mimum fuisse, inde manifestum fit, quod is a poeta h. l. et satir. XIII, vs. 111. commemoratur. Qua una ratione omnia Achaintrii argumenta, quibus Catulli Laureolum h. l. indicatum noluit, infringuntur. Errat vir bonus iam idcirco, quod allatum locum satir. XIII. neglexit. Plus deinde auctoritatis tribuendum erat Tertulliano, qui de Catulli Laureolo adversus Valentin. c. XIV. loquitur, quique, quantum ex eius descriptione apparet, non solum Iuvenalis, sed aliorum quoque verba in animo habuit. Neque idem recte explicuit *velox* per *mira strenuitate*, rectius Rupertus eodem sensu, quo infra *fugitivus scurra Catulli*; quocum praeterea comparari poterat Sueton. Caligul. c. 57: *in quo* (*Laureolo mimo*) *actor proripiens se ruina sanguinem vomuit.* Lentulus, non mimographus, sed nobilis est, homo perditissimus et Laureoli moribus et ingenio simillimus, ut hac de causa eius personam bene agere posset: quare acerbe in eum animadvertit poeta *dignus vera cruce.* Vide Martial. spectacul. ep. 6, vs. 5. et quae ad hunc locum Raderus disputat.

SATIRA VIII, vs. 194 sq.

Quanti sua funera vendant,
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone,
Nec dubitant celsi praetoris vendere ludis.

Postrema Rupertus, ut ab aliena manu profecta, rationibus quidem, nullius tamen momenti, e contextu eiicien-

da contendit. Primum quod ait admodum haec verba languere, quia eadem sententia in vs. praecedente contineatur, non verum est: quin etiam maxima iis vis inest et gradatio, quod se sponte sua, non coacti a Nerone, praetoris ignobilioris, quam ipsi sunt, ludis vendiderunt. Deinde, quam vanum sit, quod ex triplici vocis *vendere* repetitione petatur argumentum, iam diu demonstrarunt prudentissimi critici, et nuper Weichertus in dissertat. de verss. V. et C. Fl. iniuria suspectis pag. 93—99 fusius et accuratius. Idem vir doctus Iuven. satir. VI, vs. 279 sq.

dic
Dic aliquem, sodes, dic, Quinctiliane, colorem:
Haeremus: dic ipsa:

ex codd. verbum *dic*, a Ruperto et Achaintrio, ne idem quater repeteretur, post *sodes* temere in *hic* commutatum restituit. Nostro loco *vendere* in maiorem nobilium contemtum, qui dignitatis suae et maiorum auctoritatis immemores rei gladiatoriae et operam impendant et vitam tradant, ter iteratur.

Tertium argumentum Rupertus ex historia ad opinionem probandam arcessivit, quod quum gravissimum et debeat et possit esse, longe tamen infirmissimum est. Citatur Dio Cassius, cuius verba haec sunt lib. LX, cap. 5. *Τοῖς τε στρατηγοῖς τοὺς ἀγῶνας τοὺς ὁπλομαχικοὺς ἀπηγόρευσε μὴ ποιεῖν, καὶ εἰ δή τις ἄλλος αὐτοὺς ὁπουδήποτε ἐπιτελοίη, ἀλλὰ μή τί γε ὡς καὶ ὑπὲρ ἑαυτοῦ σωτηρίας γιγνομένων σφῶν ἢ γράφεσθαι, ἢ καὶ λέγεσθαι ἐκέλευσε*: ex quibus verbis non possunt ea, quae Rupertus voluit, colligi. Nota

Reimari meliora nos docet: Non omnino hoc, inquit, prohibitum intellige, sed modo interdictum, ne Claudii honori extra ordinem hoc darent, ut Caio honorando fecerant." Neque Suetonii locus in vita Claudii cap. 24. maioris est apud nos ponderis, qui quum ibi Claudius collegio quaestorum pro stratura viarum gladiatorium munus iniunxisse exhibeatur, de praetoribus autem nihil commemoretur, huc ne trahi quidem potest. Insuper ipse poeta alio loco munus illud praetoribus tribuit sat. XI, vs. 193. unde, etsi huius satirae aetas incerta sit, tamen inde ad consuetudinem et usum illius temporis concludendum est. At Ruperto credamus, officium praetorum ludos edendi ad quaestores illo tempore delatum fuisse, versus ille ne ita quidem asteriscis notandus est, quia poetae etiam tum hos illorum nomine, quod omnibus omnino magistratibus, qui alicui rei praeessent, commune fuisse constat, insignire licebat. Vid. Iuven. sat. X, vs. 36 et 41. Perizon. de praetorio pag. 8. Forcellin. lexic. s. v. praetor.

Praeterea de scripturae diversitate *Celsi* et *celsi*, quae in libris invenitur, nonnulla monenda restant. Alii locum nomini proprio, adiectivo contra alii tribuunt: hi epitheton ornatus causa positum, vel potius ideo electum existimant, quod praetor in sella curuli ludis praeesset. cf. Iuven. satir. X, vs. 36. Plin. hist. natur. lib. XXXIV, cap. 5. Sueton. Octav. cap. 44. ibique Ernesti et Casaubon. Ex his interpretationibus prior prorsus spernenda est, et altera nonnisi eo aliquid habet auctoritatis, ubi *celsi* cum delectu et eo

consilio adhitum dicas, ut nobilium, qui, consumtis opibus, praetori ignobiliori, quam ipsi essent, primam spectaculorum sedem tenenti, ad ludos operam suam locarent, miserrima conditio magis illustraretur. Sed quaeri potest, quid praetore, in alta sella curuli sedente, opus sit, quum nobiles se ludis tantum vendunt, et nondum pugnant. *Vendere se ludis* formula in eos est, qui mercedem accipientes corpus arenae locant, et iuramento se obstringunt, uri flammis, virgis secari ferroque necari: qui auctorati nominantur. Auctoratio enim, ait schol. Acron. ad Horat. Sat. lib. II, sat. V, vs. 58, dicitur venditio gladiatorum. Cf. interprett. ad Horat. l. l. et ad Petron. cap. 117.

Ita nomen proprium Celsi poni potest: et qui intelligendus sit Celsus, quum plures eiusdem nominis commemorentur, facile discernitur satir. VI, vs. 244.

Componunt ipsae per se formantque libellos,
Principium atque locos Celso dictare paratae.

Hinc eum poetae aequalem, et peritissimum iurisconsultum cognovimus. Fuerunt, qui Cornelium Celsum utroque loco designatum putarent, sed errant, quia is teste Quinctiliano mediocris in arte dicendi fuit, nec Iuvenalis temporibus vixit. Potius sine ulla dubitatione P. Iuventium Celsum intelligas, de quo schol. ad Sat. VI, vs. 244. audiamus: „Celso. Oratori illius temporis, qui septem libros Institutionum scriptos reliquit. Praetor erat ab u. con. 855 sub Traiano, quo fere anno hanc octavam satiram etiam ex aliis certis vestigiis compositum fuisse apparet. Cf. Io. Valentini Franckii exam. crit. D. I. Iuven. vit. pag. 130. Accedit Plinii

auctoritas, qui epistol. lib. VI, ep. 5. Iuventium Celsum praetorem cum Nepote litigantem commemorat. Cf. Gierig et Catan. aliosque interpretes ad h. l.

SATIRA VIII, vs. 200—205.

Ab exprobrando nobilium rei scenicae studio poeta ad artem gladiatoriam transit, et rursus in eos, hominum infamium more in arenam descendentes, invehitur:

Et illud

Dedecus urbis habes: nec mirmillonis in armis,
Nec clypeo Gracchum pugnantem aut falce supina,
(Damnat enim tales, habitus et damnat et odit.)
Nec galea faciem abscondit:

Gracchus fuit id genus homo, qui, omni pudore tamquam veste detracta, nudo vultu ut retiarius pugnavit, mirmillonis, sequutoris et Threcis armaturam detrectans: cuius rei causa interseritur in editionibus hocce modo:

Damnat enim tales habitus, sed damnat et odit.

Rupertus totum hunc versum interpolationem dicit redolere. Ac profecto, sicut scriptus hodie in libris legitur, non interpolatoris quidem, sed corruptoris vestigia prodit. Nam quum iam dictum sit, nobilem illum damnare mirmillonis et reliquorum habitus, eiusdem verbi repetitio sine novae sententiae accessione molesta est. Quamvis enim poetae delectentur repetitionibus eorundem verborum, ne credas tamen temere et sine certis quibusdam legibus. Accedit particula adversativa *sed*, quae hoc loco non contraria, sed si-

millima contra vulgarem ipsius vim coniungit. Nec efficitur quidquam, ubi eam pro *imo*, *quin* collocatam contendas: quae quidem augendi significatio particulae inhaeret, ita tamen, ut ea ex toto sententiarum ambitu consectaria sit. Qualem enunciationem quum hic non habeamus, nec potest particula stare. Nihili deinde est anonymi coniectura *sed damnat*, *ut absit*, i. e. ut ipse, retiarius, obtrectet apud populum mirmillonı, sequutori, Threci. Verum in libris quoque *et* invenitur, restitutum ab Achaintrio ex XXX codd. et priscis editionibus. Quid hoc? Aeque ineptum est, quum novi nihil accedat, ac prius illud. Isto enim modo enunciationes, nisi posterior earum novo quodam additamento ab antecedenti diversa sit, per particulam coniunctivam connecti non possunt. Itaque aperte haec corrupta et depravata sunt. Sed elegantissimus versus est, modo permutes, ut supra factum, interpunctionem:

Damnat enim tales, habitus et damnat et odit.

Irridet poeta interposito hoc versu nobilem illum, quippe qui non solum mirmillonem, sequutorem et Threcem, qui melioris ipso sint conditionis, sed eorum etiam armaturam despiciat, qua detectus ipse ignominiam effugere possit. *Tales* igitur sunt mirmillo, sequutor et Threx, qui quidem praeter mirmillonem non nominati sunt, sed tamen armis suis indicati.

SATIRA IX.

Vs. 5.

Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.

Hic versus ne in spuriis habeatur, Servii auctoritas impedit, qui eum ad Virgil. Georg. lib. III, vs. 360. et Aen. lib. VII, vs. 115. laudat. Certum quidem est, eum non bene aptatum videri antecedentibus, sed haec causa non sufficit, cur e contextu tollatur. Scimus enim, poetam non raro res obiter tangere, nobis obscuras, notas autem aequalibus, quamvis leviter indicatas: ac sine dubio, ut iam Achaintrius existimavit, alludit Iuvenalis ad sui aevi obscoenam quidem, et tamen iocosam historiam, in qua commemoranda ipsa brevitas delectaverit Romanos, qui sic commonefacti cetera sibi supplerent. Quare si nota nobis esset historia illa, non amplius de verborum cohaerentia ambigeremus, et facile, quae aperte omissa sunt, explere possemus. Attamen periclitandum est in re incerta. Ex mea sententia hoc sibi vult Iuvenalis: Deprenso Ravolo, quum Rhodopes inguina lamberet, nihil timendum erat: nam servo crustula gustanti colaphos incutimus, Rhodopes autem inguina non crustula sunt; quare Ravolo poena colapho minor exspectanda. Haec explicatio congruit quodammodo cum scholiasta: „Servus colapho percutitur a nobis, si placentam linguat: Ravola autem cum lambat inguina feminarum, impunitus incedit.“ Cramerus ad schol. pag. 356. *συναφείαν*, quam dicit, restituere voluit scribendo vs. 3.

Quid mihi pr. *Quid tibi*, sed vehementer dubito, an eam hac emendatione assequutus sit.

SATIRA IX, vs. 36.

et blandae assidue densaeque tabellae
Sollicitent,

Densae tabellae Ruperto sunt crebrae, vel potius, quum idem proxima voce *assidue* exprimatur, longae ac copiosae. Quae posterior verbi explicatio dubito an verior et convenientior sit priore. Mihi quidem melius visum est, si *densae tabellae*, vel crebrae sint, vel ad interiorem epistolarum naturam, ad brevitatem et inde sequutam sententiarum gravitatem referantur. Quo breviores litterae et graviores, eo magis animum lectoris afficiunt: quare poeta *sollicitet* utitur, quamquam id quoque crebris tabellis conveniat. Neque desunt illius explicationis exempla. Quinctilianus lib. X, cap. 1. Euripidem sententiis densum, et Thucydidem densum et brevem et semper instantem sibi appellat.

SATIRA IX, vs. 56 sq.

Te Trifolinus ager fecundis vitibus implet
Suspectumque iugum Cumis et Gaurus inanis.

Iugum nonnulli Misenum promontorium esse arbitrantur, ideoque suspectum Cumis dictum, quod urbi altitudine sua interitum minitaretur: Vesuvium Rupertus huc magis artificiose, quam apte transtulit. Nam Vesuvius aeque minus ac Misenum, quum uterque mons a Cumis longe distaret, huic urbi suspectum dici potuit. Nec quidquam commemoratur a veteribus scriptoribus

de vinetis in promontorio Miseno. Imo prope Cumas altum fuisse montem constat e Virgilii Aen. VI, 9. ibique Heyn. in excurs., ut, quo minus *suspectum* de vicino et Cumis ruinam imminente iugo intelligamus, nihil obstare videatur: in quo quidem iugo an vinum creverit, nescio, sed tamen verisimile est. Maiorem autem difficultatem verba *Gaurus inanis* interpretibus fecerunt, varia in haec, deficiente codd. auxilio, commentantibus. In scholiis, ut ab his incipiam, quum non probabilia praeter unum, ad quod infra revertimur, exponantur, Grangaeum statim commemoremus, qui *inanis* sic interpretatur — *tibi non sufficiens et tam inutilis, ac si nihil haberes.* Quae quidem explicatio praestantior est aliis, sed si vim verbi consideramus *Gaurus inanis* montem significat, ex quo nihil, vel non multum redundat utilitatis. Attamen fertilissimus vini erat mons ille, id quod Statius Silv. lib. III, carm. I, vs. 147. *nemorosus palmite Gaurus.* Carm. V, vs. 99. *Bacchei vineta madentia Gauri.* Theb. VIII, vs. 544.

Sic ulmus vitisque duplex iactura coloni
Gaurano de monte cadunt.

et Florus lib. I, cap. 16. *Heic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus et pulcherrimus omnium Vesuvius* testantur. Obstat etiam Plinius pluribus locis lib. XIV, cap. 8 et 6. lib. III, cap. 5. et al. Inde dubitare possumus, an sincera *inanis* poetae scriptura sit. Fortasse scriptum fuit *Gaurus in imis*, affirmata hac emendatione Cellarii N. O. A. lib. II, cap. 9. antiquae terrae ex ipsis veteribus scriptoribus peritissimi iudicio."

Iugo, inquit, montes longe continuari et sic maxime circa Avernum et Puteolos Gaurum dici, *vitiferum in imis*, ut vel aliis locis, vel saltem in summitate pinifer aptus navalibus fuerit.“ Vel si nihil fere mutatum velis, scribas, quod Reisigius mihi in philologa Ienae sua societate aliquando suasit, *Gaurus in annis*, non alia vi, atque *quotannis*, insignitum. Quamquam pace viri egregii veterem scripturam arbitror tuendam esse cum Camillo Peregrino in Campania felice Dissert. II, cap. 17. ab Oberlino ad Vib. Sequest. p. 325. laudato, qui *inanem Gaurum* pariter ac vetus interpres in uno scholio appellatum putat, quod cavus esset. „Habet enim, ait, cavernam unam satis patentem oculis et grandem, forma simillima ac veterum fuisse amphitheatrorum observare est. Profunditas eius altitudinem ipsius montis aequat, ipsaque caverna superne in planum aperitur agrum multorumque iugerum, mirabili praeditum fertilitate.“ Licet enim gravius quiddam et exquisitius in voce *inanis* reconditum exspectes, quod quidem poeta, vi illa adsumta, non videtur adsequutus, tamen excusationem aliquam in eo invenimus, quod *iugum suspectum* etiam de externa montis Cumis vicini conditione dictum est. Nimirum Iuvenalis h. l. immensas Virronis hominis avari possessiones describens rem ita instituit, ut non modo praestantissimas plures, sed etiam eius generis duas, quae ruinam imminerent, commemoraret.

SATIRA IX, vs. 63—65.

Improbus es, quum poscis, ait: sed pensio clamat,
Posce: sed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam solers evasit Ulysses.

Quam perversae interdum veterum verbis sententiae subiiciantur, si quid in iis paulo insolentius dictum fuerit, h. l. ostendi potest. Non enim videbant, et id ipsum profecto habet aliquid difficultatis, quomodo comparatio inter puerum clamantem, eumque unicum, et Polyphemi magnum oculum explicanda esset. Decepti sunt VV. DD. fere omnes eo, quod puer unicus hic nominatur, quodque Polyphemus unum in fronte oculum habuit. Inde mirae prodierunt interpretationes. Unus vero ex iis recte animadvertit, in qua re omnis difficultas sita sit, Grangaeum dico, cuius adnotatio digna est, quae hic apponatur: „tam alte me appellat, quum alte vociferabatur Polyphemus, postquam solers evasit Ulixes. Polyphemi igitur lata acies, hoc est, Polyphemus ipse, qui, ait Virgil. Aen. lib. III, vs. 672 sqq.:

Clamorem immensum tollit, quo pontus et omnes
Intremuere undae, penitusque exterrita tellus
Italiae, curvisque immugiit Aetna cavernis."

Poeta circumloquutionem Graecis familiarissimam in Polyphemo designando ita adhibuit, ut unum eius oculum, qui ab Ulysse effossus clamoris ingentis causa erat, appellantem faceret. Si dictum fuisset: appellat puer unicus, ut Polyphemus lata acie, nihil esset, quo haererent lectores. Deinde in verbis posterioribus ani-

madvertatur licet breviloquentia quaedam. Nam quid est *per quem solers evasit Ulixes?* Ne putet quisquam, fortasse Virgilii descriptione permotus Aeneid. lib. III, vs. 636 sq.,

Ingens (lumen), quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar.

Polyphemi oculum effossum tanta latitudine fuisse, per quem sibi Ulysses ex antro pararet exitum. Sed iam fuit, qui hanc sententiam Iuvenali inferebat. Igitur breviter, ut solet, loquutus est poeta, istaque breviloquentia sic explicanda, ut in praepositionis vi et relativo totam hanc enunciationem *cuius elisione facta, sive qua occoecata* contineri dicamus. Hoc recte sensit Grangaeus, sed non debebat *per quem* in *postquam* mutare.

SATIRA IX, vs. 67—68.

Quid agam? bruma spirante quid, oro,
Quid dicam scapulis puerorum aquilone Decembri
Et pedibus?

Editor Parisiensis dedit *mense Decembri.* At vero vox *mense* glossam redolet, qua quidem nihil est frigidius. In optimis libris legimus *aq̄uilone Decembri*, atque ita scribendum est, quia hoc gravius et magis huic loco convenit, quum servi pedibus et humeris male vestiti nihil tam vereantur, quam aquilonem mense Decembri vehementer spirantem. Martialis lib. I, ep. 42 dicit:

At quum December canus et bruma impotens
Aquilone rauco mugiet,

Neque compositio horum verborum *aquilone Decembri*,

ut visum est Ruperto, dura nominari potest. Nam mensium nomina apud poetas interdum vim adiectivorum habent. Sic apud Calpurn. ecl. II, 87. *Sole Novembri* invenitur, et Ausonius Precat. Consul. p. 343. ed Toll. dicit:

da roscida cancro
Stultitia, et gelidum Boream Septembribus horis.

In eiusmodi compositione poetas evitasse nominativum casum censeo, nec facile quisquam eum, nisi apud grammaticos inveniet, ut apud Festum: *October equus appellatur, qui in campo Martio mense Octobri immolatur quotannis morti.*

SATIRA IX, vs. 104—107.

claude fenestras,
Vela tegant rimas, iunge ostia, tollite lumen
E medio, iaceant omnes, prope nemo recumbat:

Quia singularis *claude, iunge* antecedit, *tollito* nonnulli, ut numerus sibi constaret, male scripserunt. Ac Rupertus, quamquam veram librorum scripturam *tollite* antea in textum receperat, tamen incertus rursum factus, priorem in novissimam editionem revocavit. In eiusmodi rebus ne ninis anxie versemur, magnopere cavendum est. Numeri enallage nihil frequentius est. vid. Burman. ad Virgil. Aen. lib. II, vs. 32. Eodem modo mutavit numerum Menander in fragment. pag. 102. Hug. Grot. edit., et mirabiliter cum nostro congruit:

Εἶτ' εὐθὺς οὕτω τραπέζας αἴρετε,
Μύρα, στεφάνους ἑτοίμασον, σπονδὰς ποίει.

In versu 106 omnes codices in scriptura *clamant*, vel

clament conspirant: quam quocumque modo explicare tentaveris, certi nihil invenies, quo rem expedias, quodque toti sententiae accommodatum sit. Achaintrii interpretatio, quae haec est: „omnes tantae infamiae palam adversantur, contra assurgunt:“ valde displicet. Ut alia non quaeram, quinam sunt illi omnes, qui vociferentur? Tamen eius generis homines, qui cum domino in conclavi, et testes eorum sunt, quae noctu ille nefanda patrarit. Quis vero noctu dominum circumdat, nisi servi? Sed poeta modo dixerat *Servi ut taceant*, ut eosdem rursus clamantes inducere non posset. Fortasse librarius, atchimagiri, carptores intelligendi? Sed iidem servi sunt. Deinde nec potest verbis *clamant omnes* sine ullo additamento ea significatio subesse, quam voluit Achaintrius, *adversantur, assurgunt*. Quae lectio igitur quum sensum nullum, certe non aptissimum, praebeat, eaque omnibus codicibus communis sit, antiquissimis iam temporibus hunc locum depravatum fuisse apparet. Et vestigium corruptelae in mss. Pithoei, qui *taceant* habet, deprehendimus, pro quo librarii, quum repetitionem eiusdem verbi contra poetae mentem esse animadverterent, contrarium posuerunt, non respicientes, mala, an bona inde oriretur sententia. Pro eo Rupertus olim felicissima emendatione dedit *iaceant*, quod significat *quiescere, dormire in lectulo*; hoc optimum est, hoc desiderat contextus et gradatio, quae in seqq. verbis *prope nemo recumbat* cernitur, neque aliud viri commentum novi, quod maiori laude dignum sit, quod tamen ipse

rursus in novissima editione condemnat, Francogalli explicatione et codd. consensu deceptus.

SATIRA IX, vs. 137 sq.

O parvi nostrique Lares, quos thure minuto
Aut farre et tenui soleo exorare corona,

Exornare, quod plures libri apud Rupertum, et tredecim Parisini codd. exhibent, alteri, quod multo gravius et Iuvenalis orationi accommodatius est, noli praeferre, licet illud pro difficiliori scriptura, zeugmatis, quod dicunt, auxilio explicanda, haberi possit. Sed origo eius, voce *corona* addita, neminem latebit. Conferas Plaut. Trinum. act. I, sc. 2. *Larem corona nostrum decorari volo.* Horat. Od. III, od. 23, vs. 15. 16. *Parvos coronantem marino rore Deus fragilique myrto.* *Exorare* tuentur verba Catonis de re rustic. c. 143. *Villica focum purum circumversum quotidie, priusquam cubitum eat, habeat. Kalendis, Idibus, Nonis, festus dies quum erit, coronam in focum indat, perque eos dies Lari familiari pro copia supplicet.* Est igitur *Lares exorare corona* idem, ac Laribus coronam imponere, eosque exorare.

SATIRA X.

Vs. 5.

quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non poeniteat votique peracti?

Tres h. l. scripturae sunt: duae *concupis* et *concipis* dubitare nos paululum sinunt, utra accommodatior prae

altera locum occupet, at tertia *concutis* vitium scribendi est. Alteram illam *concupis*, etsi in multis codd. inventam et a sensu ipso, quum de votis agatur, stabiliri visam, idcirco interpretes reiecerunt, quia modo *cupimus* praecedat et lectio *concipis* exquisitior sit. Recte, quamquam illi, quomodo haec explicanda sit, nesciunt, adeoque Ruperto in verbis *quid tam dextro pede concipis* mendum latere videtur. Negat recte dici *dextro pede concipere*, eorum expositione falsus, qui *concipere* de votis, quae animo vel certa verborum formula comprehensa exprimuntur, peculiare verbum dicerent, ut *preces concipere* Senec. Troad. 1100. Hercul. Fur. 926. Ita vero nec potest hic, nec debet istud vocabulum capi: qua potestate non tam nude poni, sed addi debebat *votum*. Concipere h. l. potius est *suscipere*, confirmantibus hanc explicationem verbis *ut te conatus non poeniteat votique peracti*. Quae quidem vis, quia *concipere*, vel addito vel omisso v. *animo* sive *mente*, *cogitare*, *meditari* significat, facillime inde derivatur. Sed difficultas ex paulo inusitatiori verborum *dextro pede concipere* compositione oritur nova. Observabant Romani ad rem aliquam perficiendam ituri dextrum pedem praeponere, et si quis sinistrum praeferret, mali ominis putabant, ut adeo nollent sibi laevum calceum pro dextro induci, quod Suetonius c. 92 et Plin. lib. II, cap. 7. de Augusto narrant. Hinc dictiones *dextro pede ire*, *adire*, *proficisci*, *venire*: hinc *dexter pes*, *dextra progressio*, *dexter gressus* fausti ominis erat, *laevus gradus*, *sinister pes*, mali. Appul. Metam. I. *Sed*, *ut fieri assolet*, *sinistro pede me profe-*

ctum spes compendii frustrata est. Petron. cap. 30. *ut pariter movimus dextros gressus, servus nobis despoliatus procubuit ante pedes.* et paulo post: *Retulimus ergo dextros pedes.* Vid. Burmann. ad Petron. l. l. Barth. ad Stat. Theb. lib. IV, vs. 671. Deinde, abiecta propria vi, formula *dextro pede* significat in universum *felici omine, conatu*: unde liquet, quemadmodum *dextro pede rem adire* dicatur, ita etiam *dextro pede rem concipere* optimo iure dici posse.

SATIRA X, vs. 15—18.

iussuque Neronis
Longinum et magnos Senecae praedivitis hortos
Clausit et egregias Lateranorum obsidet aedes
Tota cohors:

Etiam in his erratum est ab interpretibus. Rupertum adeo impulit audacia, ut, quum nesciret, quo referretur *Longinum*, eum mutare in genitivum vellet. Tum ipsi ex veteribus testimonia afferenda erant, in quibus hortorum Longini mentio fiat. Recte vero Burmannus ab eo vituperatur, qui ad Propert. lib. I, eleg. 1, vs. 24, ubi de zeugmatis vi loquitur, breve in his dicit genus loquendi esse, et supplendum: „Longinum more coegit et Senecae hortos clausit.“ Sententia igitur instituta esset ad eam figuram, quam zeugma vocant grammatici, qua communi verbo copulantur res diversae. Multum habet haec figura elegantiae ac ponderis orationis brevitati: cavendum tamen, ne plane diversa et dissimillima ad istam normam explicentur. Sic vitiosum est illud zeugmatis genus, certe durissi-

mum, in quo ex communi verbo haud facile tale quoddam suppleatur, quod brevitatis causa omissum, alteri sententiae aptissimum sit. Bonum huius rei exemplum habes infra vs. 336.

Nomina servorum nec vultum agnoscit amici.

Hic *vultum agnoscit* bene dicitur, sed *nomina* non licet, ad quod ex illo aliud verbum sumendum est, quemadmodum in hoc der Sklave und der Hund erkennet seinen Herrn verbum in servum tantum valet. Tacit. Agric. cap. 45. *nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit.* Annal. lib. VI, cap. 24. *ut sicuti nurum, et nepotem domumque omnem caedibus complevisset.*

Iam ad nostrum locum revertamur. *Longinum clausit* ex mente Burmanni ut sit *mori coegit*, quisque fieri non posse videt, quin oratio Latinis inaudita sit. Zeugma igitur, quod Burmannus hoc loco, ut Virgil. Aen. lib. IV, vs. 256—258 inepte statuit, et quaevis alia artificiosa interpretandi ratio reiiciatur. Vid. de Longino Reimari not. ad Dion. Cass. pag. 1023 et 935, cuius doctrina Iuvenalis interpreti multum proficiet. Citat ibi Tacit. ann. lib. XVI, cap. 7. et 9., et licet altero loco Iuvenalem cum Dione et Suetonio, qui Longinum a Nerone occisum fuisse narrant, consentire dicat, illic tamen comperimus, quomodo verba *Longinum clausit* rectissime capienda sint. Tacitus refert cap. 7. „removendos a Rep. utrosque (Cassium et Silanum) et cap. 9. „Tunc consulto senatus, inquit, Cassio et Silano exsilia decernuntur: deportatusque in insulam Sardiniam Cassius et senectus eius exspectabatur."

Conspirat Tacito Pomponius de origine iuris: „Caius Cassius Longinus plurimum in civitate auctoritatis habuit, donec eum pelleret: expulsusque ab eo in Sardiniam, revocatus a Vespasiano.“ Hinc voci Longinum *clausit* aptissimum est: ut enim locorum angustiis, cassibus, vallo etc., ita etiam insula claudere, in qua tamquam in carcere damnati coercebantur, dicitur. Cf. vs. 170. *ut Gyarae clausus scopulis parvaque Seripho.* Tacit. Ann. lib. XIV, cap. 63. *insulaque Pandateria Octaviam claudit.* Una tamen difficultas manet in eo, quod Nero, non illa, quae commemoratur, cohors Longinum in Sardinia clausit. Seneca quidem globis militum in villa septus tenebatur, vid. Tacit. Ann. lib. XV, cap. 60. sed non Longinus. Facile poteris locum omnibus perspicuum facere, si unam modo litteram addideris, atque ita scripseris:

iussumque Neronis
Longinum

quod mihi aliquando in seminario Ienensi Handius vir ille doctus amicissime suasit. Tamen non puto poetam ita scripsisse, quia ei dicendum erat cohortem, Nerone iubente, Senecae villam circumdedisse. Expedias potius locum ita, quasi scriptum sit *iussuque Neronis Longinus clausus*, sed quum poetae animo simul Senecae et Plautii Laterani coercitio per cohortes obversaretur, coniunxit cum his brevitatis causa diversam Longini sortem.

SATIRA X, vs. 22.

Divites inani metu percelluntur, et arundinis umbram videntes se putant latronibus circumventos: pauperi contra nihil timendum est, nam

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Haec codicibus firmata scriptura est, neque consueta Ruperti anxietate, qui, antecedente secunda persona, eandem sequi vult, sollicitanda. Commune potius enunciatum habemus, et a poeta postremo tamquam proverbium insertum. Eadem enim sententia apud alios aeque atque hic expressa invenitur. Senec. ep. 14. *nudum latro transmittit, etiam in obsessa via pauperi pax est.* Hieronymus in vita Hilarionis cap. 7. *nudus latrones non timet.* Dio de venat. fol. 100. *ἔστι πενία χρῆμα τῷ ὄντι ἱερὸν καὶ ἀσυλόν, καὶ οὐδεὶς ἀδικεῖ πένητας, οὐδέν τε ἧττον ἢ τοὺς τὰ κηρύκεια ἔχοντας.*

SATIRA X, vs. 23 sqq.

Prima fere vota et cunctis notissima templis
Divitiae, crescant ut opes, ut maxima toto
Nostro sit arca foro.

Ne in his interpunctionem temere mutes, sed, si quid velis, antiquam et ab aliis retentam quam firmissimis fulcias argumentis, quibus Achaintrii, interdum rerum novarum studiosi, correctio labefactetur. Qui, commate post *templis* posito, adiuvantibus aliquot Codd., verba ita scripsit *Divitiae ut crescant et opes*, utramque vocem significatione distinguens. „Divitiae, inquit,

possunt esse sine opibus: nam cum opibus semper aliqua iungitur potestas: bene igitur has separavit poeta." At non bina hic indicantur vota divitias simulque potestatem exoptantium, sed quod contextus omnino vs. 12 et verba propiora docent, de solis divitiis agitur, de potentia demum infra a vs. 56. Constat etiam, quod vel a poeta ipso his verbis *prima fere vota* et alibi significatur, prae ceteris nihil ardentius ab hominibus concupisci, quam magnas divitias. *Opes* simpliciter idem sunt, quod divitiae, qua vi eaedem etiam vs. 105. occurrunt, qui locus ad hunc referendus est, atque *verba crescant ut opes* etc. eatenus tantum aliquid novi exprimunt, quatenus accuratiorem verbi *divitiae* explicationem continent. Etenim non sunt pauperes intelligendi, divitias sibi exoptantes, quos Iacobsius sua scriptura *Divitiae, et crescant ut opes* simul intelligit, sed divites, qui voto eorum incrementum expetunt. *Vota* sunt ea ipsa, quae votis expetuntur, votorum argumenta, ut Rupertus explicat, vid. Forcellin. lexic. s. h. v. Barth. ad Stat. Theb. V, 116.: *prima vota* eodem modo dicuntur, quo Plinius lib. V, c. 25. *prima cura.* lib. X, cap. 34. *pudicitia prima* dicit: denique *cunctis notissima templis* eius generis sunt, quae palam facta ab omnibus exaudiuntur, i. e. aperta vota, quibus murmura, susurri opponuntur. vid. Iuven. sat. IX, vs. 290. Pers. sat. II, vs. 5—9. Macrob. lib. I. Saturn. cap. 7. Senec. ep. 20. Rader. ad Martial. lib. I, epigr. 33, pag. 113. Burmann. ad Petron. cap. 85. et quos ibi laudat. Ceterum Rupertus iocatur hac animadversione: *Divitiae ut crescant*

et opes 16. forte rectius et receptum ab Achaintrio, nisi doctior est nostra lectio."

SATIRA X, vs. 36—46.

De pompa Circensi, cuius pars, quatenus ea a consule more triumphantium ducebatur, in his versibus describitur, Onuphrius Panvinus de ludis circensibus cum notis Argolii, Io. Caesar. Bulengerus de Circo Romano ludisque circensibus, ac praecipue ex antiquis scriptoribus Dionys. Halic. lib. VII, cap. 72 conferantur. *Πρὶν ἄρξασθαι*, inquit, *τῶν ἀγώνων πομπὴν ἔστελλον τοῖς θεοῖς οἱ τὴν μεγίστην ἔχοντες ἐξουσίαν ἀπὸ τοῦ Καπιτωλίου τε καὶ δι' ἀγορᾶς ἄγοντες ἐπὶ τὸν μέγαν ἱππόδρομον*, et quae sequuntur. Praetor, qui hic vocatur, latiori significatione consulem designat, infra vs. 41. expresse nominatum, quamquam etiam praetores his ludis praefuisse tum ex aliis scriptoribus, tum ex ipso Iuvenal. XI, vs. 142.

similisque triumpho
Praeda caballorum praetor sedet.

apparet. Inde simul discimus, magistratus, dum ludis illis praesiderent, habitu triumphali exornatos fuisse, sicuti tota ceremonia maximam cum triumpho habuisse similitudinem videtur. Verum Rupertus, ut haec triumphi descriptio pompae aptaretur, versum 37., opinioni suae adversantem, ab ingenio interpolatoris profectum male suspicatur. Causa, quam addit, nullius momenti est: nam, ut Satir. XI, vs. 192. ad hunc morem consulum et praetorum triumphantis insignibus ludis praesidendi probandum non afferamus, idem tamen

e Taciti Ann. lib. I, cap. 16. et interpretum ad h. l. animadversionibus colligi licet. Deinde ad triumphum haec si velles referri, nonnulla desiderarem quum totius loci sententiae gravissima, tum poetae ingenio maxime accommodata. Nimirum non deficerent reges, vel duces hostium, populi captivi sub consulis pedibus incedentes tristi vultu et manibus post tergum revinctis: et omisisse potius poetam contenderem ea, quae vs. 44 sqq. ad pompam exornandam commemorantur. In quavis enim splendidi triumphi narratione captivorum fit mentio. Vide Prudent. ad Symmach. II.

Sub pedibusque ducum captivos poplite flexo
Ad iuga depressos manibusque in terga retortis.

Vide Ovid. Trist. lib. IV, el. 2, vs. 43. 44.

Crinibus en etiam fertur Germania passis
Et ducis invicti sub pede moesta sedet.

et Iuvenalem ipsum vs. 136.

et summo tristis captivus in arcu.

Postremo, quod gravissimum est, librariis non cogitaverim tam facile et tam promtum fuisse, ut novum descriptioni rei, quae ipsis notissima erat, adderent versum, addito ut alia plane res ac minus nota intelligenda esset. Contra si in hac Circensis pompae expositione versus haberemus, qui ad triumphum latius exornandum pertinerent, eos dubios ac suppositicios facilius putarem.

SATIRA X, vs. 96.

vis certe pila, cohortes,
Egregios equites et castra domestica?

Egregii equites sunt ex Ruperti sententia tribuni militum, militia equestri imperatorum temporibus in tribunatu constante. Sed vide Sueton. Claud. cap. 21. ibique interpretes, et Plin. epistoll. lib. VII, ep. 25. Rectius ii censent, qui *egregios equites* ad custodiam imperatorum selectos dicunt, quos Dio Cassius lib. LXI, cap. 9. τοὺς ἱππέας τοὺς σωματοφύλακας appellat. Ii enim excubabant vel in palatii vestibulo, vel circa cubiculum imperatoris, eumque, si foras iret, comitabantur. Cf. Dion. Cass. lib. LXXIV, cap. 1. τοὺς δὲ ἄλλους, πρὶν ἐν τῇ Ῥώμῃ γενέσθαι, δορυφόρους μεταπεμψάμενος — τῶν τε ὅπλων ἀπέλυσε, τούς τε ἵππους ἀφείλετο. lib. LXXIII, cap. 9. τῇ τε γὰρ νυκτερινῇ φυλακῇ καὶ τοῖς ἱππεῦσιν ὥπλιστο, καὶ ἦσαν καὶ ἄλλοι ἐν τῷ παλατίῳ τότε ἄνθρωποι πολλοί. ubi Reimarus ex Sueton. Claud. cap. 42, 6. Neron. cap. 8, 1. 9, 4. Galb. cap. 10, 4. Oth. cap. 4, 3. 6, 1. citat, ex quibus locis ille Galbae cap. 10, 4. potissimum hic afferendus est: *Delegit et equestris ordinis iuvenes, qui, manente annulorum aureorum usu, Evocati appellarentur, excubiaeque circa cubiculum suum vice militum agerent.* Ad haec Casaubonus: Puto; inquit, mansisse nomen istorum, fuisseque in aulis principum, qui *Evocati Augusti* appellarentur: non illa verbi notione omnibus nota, sed hac recenti: in antiquis sane inscriptionibus saepe legas EVOK. AUG. et apud scriptores quoque interdum." Vide etiam Ernest. et Samuel. Petisc. ad h. l.

SATIRA X, vs. 132.

et luteo Vulcano ad rhetora misit.

Nonnulli luteum Vulcanum, adhibita synizesi, de ignis colore flavo intelligunt, plurimi de illuvie et fuligine, qua ille oblitus erat. Hi recte: sed Iacobsius hoc epitheton magis figulo, quam fabro ferrario convenire existimans substituit *tuto*, Claudiani in Eutrop. II, vs. 456. laudato: quod quidem maxime probabile esset, si ex ingenti codd. copia unus saltem adstipularetur. Quapropter *luteo Vulcano* retinendum est ea significatione, qua et Graeci et Romani fabrum illum describere solent. Adiuvat hanc interpretationem non modo Iuvenal. Sat. XIII, vs. 44. 45.

et iam siccato nectare tergens
Brachia Vulcanus Liparaea nigra taberna.

sed etiam Lucianus dialog. deor. V, 4. *ἀλλὰ τὸν Ἥφαιστον ἔδει τὸν σὸν υἱὸν οἰνοχοεῖν ἡμῖν χωλεύοντα, ἐκ τῆς καμίνου ἥκοντα, ἔτι τῶν σπινθήρων ἀνάπλεων, ἄρτι τὴν πυράγραν ἀποτεθειμένον, καὶ ἀπ' ἐκείνων αὐτῶν τῶν δακτύλων λαμβάνειν ἡμᾶς τὴν κύλικα, καὶ ἐπισπασαμένους φιλῆσαι μεταξύ, ὃν οὐδ' ἂν ἡ μήτηρ σὺ ἡδέως φιλήσειας ὑπὸ τῆς ἀσβόλου κατηθαλωμένον τὸ πρόσωπον*; idem in libr. de sacrificiis cap. 6. tom. III, pag. 80. edit. Lehm. *βάναυσον, καὶ χαλκέα, καὶ πυρίτην, καὶ ἐν καπνῷ τὸ πᾶν βιοῦντα, καὶ σπινθήρων ἀνάπλεων, οἷα δὴ καμινευτήν.* et quem praeter alios Huschkius in Analectis pag. 54. affert, Homer. Il. Σ. vs. 410—415:

Ἦ, καὶ ἀπ' ἀκμοθέτοιο πέλωρ αἴητον ἀνέσχε,
Χωλεύων· ὑπὸ δὲ κνῆμαι ῥώοντο ἀραιαί.

SATIRA X, vs. 178.

et madidis cantat quae Sostratus alis.

Etsi de Sostrato aliunde nihil compertum habemus, praesertim quum varii eiusdem nominis fuerint, tamen ex hoc Iuvenalis loco, scholiasta adstipulante, colligere possumus, eum poetam fuisse, qui admiranda Xerxis facta vel tetigerit in suis carminibus, vel plane descripserit. Addita quae sunt, *madidis cantat alis*, eum non designant poetam, ut qui, spiritu divino carente, surgere non potuerit: quae explicatio totius loci sententiae non apta est: neque ea de ebrietate, siquidem laudatus poetis furor inde nascatur, ac multo minus de sudore recitantium intelligenda sunt. Ut primum loquutioni isti colorem et ornatum, quem dicunt, poeticum detrahamus, ea in poetam adhibita, nihil significat aliud, ac quae Sostratus madidus cantat. Alae enim poetis, quandoquidem il altas in nubes se tollant ingenio suo, tribuuntur. *Madidus* autem saepe idem, qui ebrius est, madidamque animam dicunt Graeci philosophi ὑγρὴν, contra siccam et sobriam ψυχὴν αὐην: haec optima et salubertima, illa misera et perniciosa. Heraclitus in fragmento ap. Stobaeum, 37, pag. 123. ed. Francof. dicit: Ἀνὴρ, ὁκόταν μεθυσθῇ, ἄγεται ὑπὸ παιδὸς ἀνήβου σφαλλόμενος, οὐκ ἐπαΐων ὅκη βαίνει, ὑγρὴν τὴν ψυχὴν ἔχων· αὐη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη. Plautus Asinar. V, sc. 2, vs. 7. haec diversa cum aliis coniungens *madidum*, *nihili* atque *incontinentem* opponit *homini sicco*, *frugi* et *continenti*. Itaque quum ebrii sui non compotes, nec sana

mente praediti sint, Sostratum madidum intelligo eum, cuius animus obfuscatus et obnubilatus est, ita ut sui impotens recta et vera tenere non possit. Sobrius vox contraria indicat saepenumero hominem veritatis amantem, ut apud Terent. Eunuch. IV, 4, 35. *Iam satis credo sobriam esse me, et nihil mentiam tibi:* hinc madidus ad notionem *mendacis* accedit, cuius vitii Sostratus nimis extollendo Xerxis facta reum se fecisse videtur. Quam sane significationem verba illa *quidquid Graecia mendax Audet in historia* apertis innuunt.

SATIRA X, vs. 189.

Hoc recto vultu solum, hoc et pallidus optas.

Vota minus honesta, vel improba tacitè concipiebant murmure et susurris, honesta et non invidiosa palam et recto vultu, quod signum erat bonae conscientiae, qua nimirum ducti audacter vota facere possent. De votis apertis et tacitis vide Rader. ad Martial. I, 40, pag. 113. et quos ibi citat auctores. Heyn. ad Tibull. lib. II, el. 1, vs. 48. *Pallidus* exprimit effectum pro re efficiente h. e. tanta cupiditate, tanta vehementia optas, ut pallidus sis. Persius Sat. IV, 47. *viso si pallet numo.* Ut enim maxima cupiditas habendi, ita etiam nimia concupiscendi vehementia affert pallorem.

SATIRA X, vs. 321 sqq.

Quid enim ulla negaverit udis
Inguinibus, sive est haec Oppia, sive Catulla?
Deterior totos habet illic femina mores.

Quamquam de Oppia et Catulla nihil constat, certum

tamen indicium praebent particulae *sive*, *sive*, discrimen quoddam inter utramque mulierem statuendum esse. Verum non opposuit sibi invicem Iuvenalis deformem et formosam, non prodigam et avaram, neque impudicam et castam, sed, quantum mihi videtur, quod quidem verborum contextui aptissimum est, plebeiam et nobilem. Quod si ponimus, Mansonis explicatio vocis *deterior*, ut sit mulier inferioris conditionis, nobilissimis Oppiae et Catullae opposita, omnem vim amittit. Et recte quidem, quum Iuvenalis ipse contrarium doceat, generosas mulieres saepe impudicissimas esse. Sed bene animadvertit Manso vs. 323 epiphonema continere satis aptum et claudenda sententia dignum. Idcirco *deterior femina* explicanda est mulier, quae, ubi a castitate aliquantulum (deterior) declinavit, tota dedita est libidinibus et quocumque modo morem gerit, obsequitur, facillima est explendae virorum cupiditati (totos illic mores habet). Qua sententia constituta, reiiciendae sunt virorum doctorum coniecturae, Ruperti *comes mores*, H. Valesii *amores* et Mansonis *tortos mores*, quos ipse auctor iam improbavit. Tuetur enim nunc *totos mores*, eosque de universa vivendi agendique ratione intelligit: quae tamen explicatio nimis quaesita videtur.

SATIRA X, vs. 365 sq.

Nullum numen habes, si sit prudentia, nos te
Nos facimus, Fortuna, Deam, caeloque locamus.

Hi versus recurrunt Sat. XIV, 315—316, eademque lectionis varietate apud Lactant. Instit. III, 29. Equi-

dem Ruperto assentior, scripturam plurimorum librorum *nullum nùmen habes* altera *nullum numen abest* aptiorem existimanti. Perplacet mihi illa et visa idcirco necessaria est, quia eius sedes et sententiae ordine et perpetuitate sermonis confirmatur. Poeta enim quum antea dixisset, hominis conditionem ita comparatam esse, ut bonam mentem ac felicitatem sibi ipse parare queat, nunc Fortunam, quum mentis bona more stoicorum non ab ea pendere arbitraretur, peropportune appellavit, eique omnem in homines potestatem, si animi viribus ii et prudentia recte uterentur, abiudicavit. Quae quidem appellatio, si demum a verbis *nos te, nos facimus* inciperet, nimis subita nec satis praeparata esset. Accedit etiam, ut, si scriptura mihi probata non attentatur, oppositio, quae in utraque enunciatione *nullum numen habes*, et *nos te, nos facimus* aperta est, egregie servetur: et quod ad lectionem *nullum nùmen habes* attinet, ea poetis non inusitata est. Ovid. Amor. III, 9, 18. *Sunt etiam, qui nos numen habere putant.* Ovid. Fast. VI, vs. 241. *Mens quoque numen habet, menti delubra videmus.* Diversitas autem lectionis inde videtur profecta, quod in veteribus libris, littera h. omissa, pro *habes* — *abes* scriberetur: ex quo tum librarii, dictionis *praesens numen* non immemores, *abest* fecerunt.

SATIRA XI.

Vs. 27 — 33.

Nosce te ipsum, praecipit poeta, ne in vita quidquam agas, quod virium et facultatum tuarum modum excedat:

E coelo descendit γνῶθι σεαυτόν,
Figendum et memori tractandum pectore, sive
Coniugium quaeras, vel sacri in parte senatus
Esse velis: nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se transducebat Ulysses
Ancipitem: seu tu magno discrimine causam
Protegere adfectas, te consule,

Ita scribendum est, nec aliter verba in antiquis editionibus distincta vides. Rupertus, interpunctione sub finem vs. 31. posita, et adiectivo *ancipitem* ad sequentia tracto, in eo erravit, quod verba *causam magno discrimine* et *ancipitem causam* eadem vi, certe non admodum diversa copularet, sicque adimeret antecedentibus, quod ad plenlorem sententiam necessarium est: et si quis recte veterem scripturam servabat, non tamen recte verba interpretatus est. Vide Forcellin. lexicon s. v. *traducere*. Verum maximopere Heineckii displicet conatus, qui in animadverss. pag. 35 sqq. non explicando, sed delendo vs. 31. difficultatem existimabat sublatam. Sed omnia sana et integra sunt, modo verbum *anceps*, quod omnes turbas excitavit, recte intellexeris. *Anceps* dicitur, quod geminum est: vir anceps, qui se duplici forma praeditum ostendit. Ulysses expetebat arma Achillis, huic viribus longe im-

par: Thersites ea contemsit, virium suarum bene sibi conscius: Ulysses tum risui se praebuit spectantibus, quod se Achillis armis indutum alterum Achillem simularet, quum dissimulare suam naturam non posset. Non alio sensu adiectivum *ancipitem* capias: id quod tota sententiae ratio, numquam homines, qui et quales sint, oblivisci debere, aperte declarat. Neque rara est haec verbi vis, quamquam nemo interpretum in eam incidit. Ovid. Fast. lib. I, vs. 96. *ancipiti imagine Ianum* appellat, qui geminam faciem habuit. Eadem porro significatione invenitur *ambiguus* et gr. *ἀμφίβολος*. Eunuchi apud Claudian. lib. I, in Eutrop. vs. 462. *ambigui mares* nominantur. Simillimum illud Statii Achill. lib. I, vs. 337.

fallitque tuentes
Ambiguus. tenuique latens discrimine sexus:

ubi de Achille in insula Scyro sub feminea forma latente agitur. Horat. lib. II, od. V, vs. 21. *Quem si puellarum insereres choro, mire sagaces falleret hospites Discrimen obscurum solutis crinibus ambiguoque vultu.* Vid. Markland. ad Statii Silv. II, 6, 39, pag. 112 sqq. Ita quoque *ἀμφίβολος* in epigr. Anthol. gr. tom. III, pag. 202. *εἰς Ἑρμαφρόδιτον* vs. 3. 4. Lucian. D. D. XXIII. I. T. II, pag. 79. de Hermaphrodito: *ὁ δὲ θῆλυς καὶ ἡμίανδρος καὶ ἀμφίβολος τὴν ὄψιν. οὐκ ἂν διακρίναις, εἴτ' ἔφηβός ἐστιν, εἴτε καὶ παρθένος.* Vid. Iacobs. animadvss. ad Anthol. gr. III, 202. pag. 18. Apertior in vocabulo *duplex* haec significatio est, Stat. Theb. lib. IV, vs. 140.

montano duplex Hylaeus ab antro
Praecipitat.

de centauro, qui superne homo, inferiori parte equus erat. cf. Bentl. ad Horat. lib. I, od. VI, vs. 7. De significatu, quem h. l. *traducere* habet, loquuti sunt Farnabius, Britannicus ad Sat. VIII, vs. 17. Beroaldus ad Propert. lib. II, eleg. 24, pag. 680. Raderus ad Martial. Spectac. epigr. IV. Quae denique in hunc locum ab Heineckio prolata sunt, eorum refutationem vide in Rupert. commentar. pag. 604.

Ceterum hic quoque egregiam Iuvenalis et singularem artem velim observes, quae in eo cernitur, ut verbis eius plus insit, quam iis prima specie inesse videatur. Quam ad rem si accuratius attendissent interpretes, saepe non tam miras et ineptas dedissent explicationes. Achilli enim poeta Thersitem opponit, et occulte indicat, illum licet alias prudentissimum ea in re a Thersite, inter omnes Graecos ad Troiam versantes stultissimo, superatum fuisse prudentia.

SATIRA XI, vs. 33—36.

dic tibi, qui sis
Orator vehemens, an Curtius et Matho buccae.
Noscenda est mensura sui spectandaque rebus
In summis minimisque,

Non prorsus improbo; quae in editionibus novissimis et a me reiecta est, asservatam multorum codicum scripturam, eoque auctoritatem aliqua ex parte accipientem, quod in pluribus libris *suae* pro *tuae* invenitur, etsi recepta et pervulgata faciliori se sententia

commendet. Nam quum Curtius et Matho, quorum alterum iam e Satira VII, vs. 129 et I, vs. 32. cognovimus, inanes et ventosi causidici essent, nihil potuit gravius, nihil accommodatius ad veram eorum naturam et indolem describendam subiungi, quam *buccae*: quo nomine, ut egregia scholiastae explicatione utar, iactanticuli, qui tantum buccas inflant, et nihil dicunt, insigniuntur. Quamobrem omnes ii errant, qui, ut Salmasius ad Vopiscum pag. 419, et Vossius in Etymol. buccas aiunt h. l. scurras, parasitos esse et adsectas. Concedo porro, enunciationem, si, maiori interpunctione post *buccae* posita, novo versu incipiat, et communem sententiam complectatur, ingenio poetae eiusque dicendi consuetudini in universum magis convenire. Verum, ut illam quodammodo defendi posse putem, me potissimum commovet, quod poetae animo dictum illud Othonis, quod apud Dio. Cass. Othon. cap. 7. et Sueton. cap. 7. legimus, obversatum videatur: *τί γάρ με ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν*, quasi diceret *ἀνεὺ φορβείας*, non cognita mensura meae buccae, cf. Graev. thesaur. t. IX, pag. 442: quod quidem teste Dione Cass. l. I. *ἔστι δὲ τοῦτο δημῶδες ἐς παροιμίαν φέρον ἐπὶ τῶν ἔξω τι τοῦ προσφόρου σφίσι ποιούντων*, proverbii vim in eos, qui rem ultra vires susciperent, habuisse constat. Desumtum est autem a tibicinibus, qui quum tibias parvas tractare commode possent, magnas longasque, capistro buccae non alligato, sumerent, quibus inflandis neque spiritus neque latera sufficerent; vide interprett. ad Sueton. l. l, et Turneb. Advers. V, cap. 1. et XVII, cap. 20, qui tamen

sibi non satis constat. Contra de iis, qui ingentia vel promitterent, vel res maximas molirentur, dictum est *φυσᾶν ἄτερ φοβείας*, ut apud Cicer. ad Attic. lib. II, ep. 16.

Φυσᾶ γὰρ οὐ σμικροῖσιν ἀὐλίσκοις ἔτι,
Ἀλλ' ἀγρίαις φυσαῖσι φορβείας ἄτερ.

Fortasse etiam huc trahi possunt, quae in Symmach. lib. III, ep. 47. leguntur: *Sic se ratio habet, ut res maximae magnos hiatus oris requirant.*

Iam ut ad poetam nostrum revertar, sententia verborum haec est: perpende, quantum valeas facultate dicendi, utrum orator sis acer et animis commovendis idoneus, an causidicus vilissimus et ventosa eloquentia: hoc videndum, ne rem viribus tuis maiorem suscipias. Commendatur deinde in universum virium cognitio, in summis minimisque rebus maxime necessaria. Contradicenti culpiam, *buccae* non posse a Curtio et Mathone seiungi, quia oppositio verborum *orator vehemens* misere perturbetur, respondeo, rabulas illos inani sua eloquentia Romae tam notos fuisse, ut eiusmodi voce eorum ingenium praeterea non indicandum esset.

SATIRA XI, vs. 64.

Feroula nunc audi, nullis ornata macellis.

Hoc versu viri docti compositionem verborum *nullis ornata macellis* vitiosam et corruptam existimarunt: qua de causa Schraderus scribi iussit *portata*, quod Iacobsius in Matthiaei Miscellaneis I, pag. 86. frigere dicit, aliam emendationem afferens *corrasa*, h. e. *stu-*

diose conquisita, quae quidem ad sententiam egregia est, sed non probanda propter tantam literarum mutationem. Facilior, nihilominus tamen necessaria Mansonis correctio est *onerata*, quae sic explicatur: *dapes, non operose conquisitae et in macellis accumulatae, sed inemtae et domi natae*. Sed quum Manso inter alia ad hunc locum dicat, neminem interpretum adhuc docuisse, quid sint *fercula nullis macellis ornata*, aut quo sensu dici possint, mirum est, quod non ipse verba et incorrupta et per se facilia explicare tentaverit, praesertim quum Grangaeus ad ea recte intelligenda viam munivisset, *nullis macellis* per *nullis dapibus et obsoniis emtis in macello* interpretatus. Per synecdochen sunt *macella* h. l, ipsae res, quae in macello vendebantur, Cf. Sat. VI, vs. 40. *captatore macello*. Manil. lib. V, vs. 370. *Numidarum pascimur oris, Phasidos et damnis: arcessitur inde macellum, unde aurata novo convecta est aequore pellis: fercula* autem non ipsi cibi, sed tabulae ligneae latiores, quae etiam missus ciborum dicuntur, quibus plures dapes impositae mensis inferri solebant: et quod his additum est *ornata*, referendum censeo ad artem, qua dapes compositae in ferculis et commode exstructae mensis apponebantur. Hoc erat structorum munus, qui, ut Servius ad Virgil. Aen. lib. I, vs. 704. docet, etiam *ferculorum compositores* dicebantur, a Graecis τραπεζονόμοι, τραπεζοποιοί, quique divitibus et luxuriosis Romanis non deerant. Apud Ammian. lib. X, cap. 8. hanc in rem adhibetur *adornare: Mensamque operimentis paribus tectam anteriorem chlamydis partem*

strat. „Iam et tricliniarchus experrectus lucernis occidentibus oleum infuderat; et pueri, detersis paulisper oculis, redierant ad ministerium, quum *intrans cymbalistria, et concrepans aera*, omnes excitavit. Refectum igitur est convivium, et rursus Quartilla ad bibendum revocavit, adiuvit hilaritatem commissantis cymbalistria. Intrat cinaedus, homo omnium insulsissimus, et plane illa domo dignus, qui, ut infractis manibus congemuit, eiusmodi carmina effudit etc. cf. interpretes. Optime describit eorum lasciviam et ineffrenatam linguae licentiam Clemens Alexandrinus Paedag. lib. III, ab init. cuius verba viam nobis poetam hoc loco recte intelligendi aperuerunt. *Ἀνδρογύνων*, inquit, *συνουσίαις ἥδοντο, παρεισρέουσι δὲ ἔνδον κιναίδων ὄχλοι ἀθυρόγλωσσοι, μιαροὶ μὲν τὰ σώματα, μιαροὶ δὲ τὰ φθέγματα, εἰς ὑπουργίας ἀκολάστους ἠνδρωμένοι, μοιχείας διάκονοι, κιχλίζοντες καὶ ψιθυρίζοντες, καὶ τὸ ὀρνικὸν ἀναίδην εἰς ἀσέλγειαν διὰ ῥινῶν ἐπιψοφοῦντες ἐπικιναίδιόμα, ἀκολάστοις ῥήμασι, καὶ σχήμασι τέρπειν πειρώμενοι, καὶ εἰς γέλωτα ἐκκαλούμενοι πορνείας παράδρομον.* Adde etiam Cypriani epistol. 103. „Superinducitur homo fractus omnibus membris, et vir ultra muliebrem mollitiem dissolutus, cui ars sit verba manibus expedire, ut desaltentur fabulosae antiquitatis libidines," unde simul lucem accipiunt verba poetae *omnique libidinis arte*, quae sine dubio ad libidinosam saltationem referantur necesse est. Cinaedi igitur tam insulsas et spurcissimas voces in ore gerebant, earum ut vel scortum vilissimum pu-

deret. Hoc posterius poeta verbis exprimit: *quibus mancipium nudum olido fornice stans abstinet.* Nam vocabulis *m. stans in olido fornice nudum* abiectissima prostibula significantur. *Stans* idem est quod *prostans* Sat. X, vs. 239. Horat. Sat. lib. I, Sat. II, vs. 30. Claudian. 18, vs. 95. Ovid. Am. lib. I, el. 10, 27. Graecorum καθῆσθαι, καθέζεσθαι ἐπ' οἰκήματος. De fornice vid. interpp. ad Petron. cap. 7. *Nudum* autem intellige mancipium aut humeris, et pectore; Iuven. Sat. VI, vs. 122. *nuda papillis auratis.* Lamprid. Elegab. 26. *papilla eiecta.* Horat. Sat. lib. II, Sat. VII, vs. 48. Ovid. Art. Am. lib. III, vs. 307. Ferrar. de re Vest. III, 23. Lips. ad Tacit. Ann. XV, 37. Wouweren. ad Petron. Sat. cap. 7. aut potius tenui et perspicua veste indutum. cf. Petron. cap. 55. ibique interpp.

Palam prostare nudam in nebula linea.

et qui maxime hic laudandus est, Dionem Cassium, qui istam prostibulorum, homines mollibus et obscoenis verbis in cellam trahentium, consuetudinem in Elegabulo notat lib. LXXIX, cap. 13. ἐνταῦθα ἡσέλγαινε· γυμνός τε ἀεὶ ἐπὶ τῆς θύρας αὐτοῦ (sc. οἰκήματος) ἑστώς, ὥσπερ αἱ πόρναι, καὶ τὸ σινδόνιον χρυσοῖς κρίκοις ἐξηρτημένον διασείων, τούς τε παριόντας ἁβρᾷ καὶ κεκλασμένῃ τῇ φωνῇ προσεταιριζόμενος. Iam perfecta poetae sententia haec est: Audiat dives et delicatus homo cymbalorum strepitus et impurissimas cinaedorum cantilenas ac verba, quibus ne prostibula quidem utuntur, quando veste pellucida ante fornicem stantes de via praetereuntes alliciunt.

At multo difficilior intellectu visus est multis versus, qui sequitur:

Qui Lacedaemonium pytismate lubricat orbem.

quo neque facile alium invenies tum coniecturis, tum explicationibus magis locupletatum. Scholiastam, qui veram iam indicaverat sententiam, interpretes neglexerunt, levitatis suae et oscitantiae iustam nunc poenam experti. Etiam hic ante omnia tenendum est, nihil aliud verbis contineri, quam hominis lauti et luxuriosi descriptionem, qui pytismate h. e. vino gustandi causa, non per fastidium, ut Gesnerus vult, ex ore eiecto marmor madefaciat. Quippe moris fuisse apud Graecos et Romanos constat, ut vinum gustarent, gustatumque, etiam optimum, exspuerent. Vid. Donat. ad Terent. Heautontim. act. 3, sc. 1, vs. 48. *pytissando modo mihi quid vini absumsit.* Vitruvius lib. VII, 4, 5. „*in conviviis eorum et quod poculis et pytismatis effunditur, simul cadit et sic cessit.* Idem omnes quidem pauperes aeque ac dites faciebant, sed sola horum splendida pavimenta erant: quare poeta opulento, quem designet prae ceteris, Lacedaemonium lapidem tribuit. Alii, ut Scaliger, assentiente Iacobsio et Gesnero, *pytismate* interpretantur vino e poculis per cottabi lusum eiecto, sed hanc explicationem non admittit primum, quod, ut Rupertus iam vidit, vinum e poculo effusum, non πύτισμα dici potest, deinde quod Vitruvius l. l. vini degustationem a cottabi lusu aperte distinguit, quamquam idem de utraque re *effundere* utitur. De incerta verbi scriptura v. I. G. Vossium in Etymol. s. v. *pitissare*, Gesneri

thesaur. s. *pityasma* et Schneider. lexic. gr. Sub verbis *Lacedaemonium orbem*, ut, omissis aliorum conatibus, breviter dicam quod sentio, cogitandus est asarotus oecus, quod pavimentum veteres marmoreis tessellis pictum et variegatum, opus musivum, nostri quodlibet artificiosum vocant. Id genus pavimenta oecis, i. e. magnis conclavibus, in quibus plura triclinia stabant, et convivia virilia habebantur, instrata, Vitruv. lib. VI, cap. 10, idcirco coloribus tincta et exornata erant, ut sordes et immunditias pytismate, vel immodica potione solo adspersas, colorum varietas et splendor superaret, nec conspurcata, quamdiu convivae adessent, everri deberent. Novimus vini rivos in marmoribus properantes ex Iuven. Sat. VI, vs. 430. Horat. lib. II, od. 14, vs. 26 sq. Cic. Philipp. II, c. 41, et ex Vitruvio artificiose excogitata pavimenta, quae illos occultarent. Hanc veram nominis explicationem esse, nos asarotorum usus docet. Unum Statius lib. I, Silv. 3, vs. 65 sq. Tiburtinam villam Vopisci describens:

testae
Monstravere solum, varias ubi picta per artes
Gaudet humus, superatque novis asarota figuris.

commemorat, et Sidonius Apollinaris carm. XXIII, vs. 57. *asaroticos lapillos*. Diversas a nostra aliorum explicationes exponunt Perottus Cornu Cop. pag. 158., G. I. Vossius in Etymol., Gesnerus in thesaur., Forcellini in lexic. s. h. v., interpretes ad Plin. H. N. lib. 36, cap. 60., Gul. Philander ad Vitruv. lib. VI, cap. 6., Alexander Alexandrius lib. IV, cap. 21., Petavius ad

Themist. Orat. XVIII, ed. Paris. pag. 485 sq., Penzel. ad Dio. Cass. t. II, p. 11, pag. 217., Grapaldus de Partt. aed. pag. 5., Claud. Salmasius in Exercitt. Plinianis pag. 854., Gurlitt. in libr. über die Mosaik p. 4. aliique a Barthio et Handio ad Stat. l. l. citati.

Intelligimus autem Iuvenalis loco pavimentum Lacedaemonio marmore obductum, cui ovatae aliorum lapidum figurae insertae erant. Maculosum enim marmor et variegatum maximo in pretio tunc temporis habebatur: unde Seneca ep. 87. dicit: *Pauper sibi videtur, ac sordidus, nisi parietes magnis et pretiosis orbibus refulserunt, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sunt: nisi illis undique operosa et in picturae modum variata circumlitio praetexitur.*" Potissimum Plinii verba ad hoc probandum huc transtulisse non poenituerit, qui libr. 35, cap. 1. dicit: *coepimus et lapidem pingere. Hoc Claudii principatu inventum: Neronis vero, maculas quae non essent, crustis inserendo, unitatem variare, ut ovatus esset Numidicus, ut purpura distingueretur Synnadicus.* ubi v. Harduin. Nunc vero quod satiricus cogitavit asaroton, ne dicas tessellatum, quod ex parvis tessellis quadratis in varios colores tinctis constabat, sed potius lithostroton sive sectile, quod varias marmorum figuras praeter scutulas, sive rhombos, trigona, quadrata, etiam orbiculatas habebat, quodque Suetonius Caes. cap. 46. Vitruv. lib. VII, cap. 1. a tessellatis accurate discernit. Quod Iuvenalis Lacedaemonium orbem, Seneca orbes, Plinius vocat ovatum Numidicum. Qui denique in Lacedaemonio orbe non marmor, sed aliud quid, adeo ob-

scoenitatem quandam quaesiverunt, ii lecto Themistii orat. XVIII, pag. 222. ed. Paris. an. 1684. mutabunt sententiam suam. καὶ μιᾶς, inquit, ὥσπερ ἅπαντας κατεχούσης ὥσπερ ἐπιπνοίας ἐκ τοῦ ζήλου τοῦ βασιλικοῦ, καὶ ἄρχοντας, καὶ ἰδιώτας, ὃς μὲν πρόδομον ἐγείρει, ὃς δὲ θάλαμον, ὃς δὲ ἀνδρῶνα, ὃς δὲ ἐπτάκλινον ἢ ἐννεάκλινον οἶκον, ᾧ δὲ καλλύνονται οἱ τοῖχοι, καὶ τὰ ἐδάφη λίθῳ Λακαίνῃ καὶ Λιβύσσῃ καὶ Αἰγυπτίᾳ. Marmor Lacedaemonium erat valde pretiosum et pavimento struendo usitatissimum. Plinius H. N. lib. 36, cap. 9. id viride vocat cunctisque hilarius. Statius in Epithalam. Stellae et Violantillae lib. I.

Hic Libycus Phrygiusque silex, hic dura Laconum
Saxa virent.

Sidonius in Paneg. Maiorani vs. 38 sq.

Post caute Laconum
Marmoris herbosi radians interviret ordo.

Prudent. libr. II. contr. Symmachum vs. 246.

Et quae saxa Paros secat, et quae Punica rupes,
Quae viridis Lacedaemon habet, maculosaque Synnas.

v. Harduin. ad Plin. l. l. Meursium in Miscellan. Lacon. II, pag. 148 sq., qui ibi praeterea scholiastam ad h. l. corrigit.

SATIRA XI, vs. 191.

Interea Megalesiacae spectacula mappae
Idaeum solemne colunt, similisque triumpho
Praeda caballorum Praetor sedet.

Noli hos ludos cum illis commiscere, quos in Palatio,

auctore Cicerone de Haruspic. responsis cap. 12, Romani ante templum in ipso matris conspectu, Megalensibus fieri voluerunt. H. l. certamina quadrigarum intelliguntur, ludi Circenses, qui non solum Iovi, Iunoni, Minervae, sed praeter alios deos etiam magnae deum matri, cultu ipsius Romae magis pervulgato, dicati et habiti fuerunt: illi scenici nominantur, ut ex Ovid. Fast. IV, 187. Liv. lib. XXXVI, cap. 16 et lib. XXXIV, 6. apparet. *Spectacula*, licet maxime apud Iuvenalem, quum alii quoque scriptores hac metonymia utantur, cf. Drakenb. ad Sil. Ital. lib. VIII, vs. 557, sumi pro ipsis spectatoribus possint, tamen h. l. de ludis *Megalesiacae mappae* exquisite dictis malim intelligere, qua emissa aurigae carceribus egressi currus agitare inciperent. Hinc etiam *mappam* seriores pro cursu equorum in ludis Circensibus usurparunt, quod Iustinianus in Authenticis constitutionibus H. CV, sive Novella de Consulibus testatur: *ab illo secundum producet spectaculum equorum cursu certantium, quod sane mappam appellant.* et paulo infra: *postea rursus equorum cursu certantium spectaculum, sive (ut appellant) mappam efficiet.* Tunc explicandi causa additum est *Idaeum solemne*, et subiectum enunciationis vel in universum Romani sunt, vel ii, qui ante ingrati sodales dicuntur.

Ut Satir. X, vs. 36 Consul ludis Circensibus, ita hic iisdem praetor praefuisse dicitur, similis triumpho, h. e. praeter cetera triumphi insignia picta et palmata tunica, quam Martialis lib. X, ep. 41. Megalensem purpuram appellat, ornatus: qui quamquam triumphantis

ritu habituque Circensibus praesidet, et magnum se virum putat, revera tamen caballorum praeda est. Haec sunt Gronovii Obss. pag. 805. verba, et optime vir summus vim satiricam, quae in *praeda* continetur, percepit. Idcirco satis mirari hominum studium et operam nequeo, quam paucis exceptis vel defendendae scripturae *praeco*, quam soli librariorum negligentiae tribuo, vel novis excogitandis emendationibus impenderunt: adeo Ruperti *praeco* Tonanti visa est in versione receptu digna. Indubitata Gronovii explicatio est, cuius magis confirmandae causa ex ipsis veterum scriptis dicta afferam, quae, quod uno vocabulo poeta, idem pluribus exprimunt. Vopiscus in Aureliano dicit: *Vidimus proxime consulatum Furii Placidi tanto ambitu in Circo editum, ut non praemia dari aurigis, sed patrimonia viderentur.* Idem alio loco Aureliani dictum laudat: *factum est enim, ut iam divitiarum sit, non hominum consulatus, qui utique si virtutibus defertur, editorem spoliare non debet.* quocum apte comparandum est illud Dionis: *ὑπὸ πενίας πολλοὶ τὴν ὑπατείαν ἀπολείπουσι διὰ τὰ ἀναλώματα τὰ ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις.* Atque apud Martial. lib IV, ep. 67. praetorem legimus amico postulatam pecuniam hac de causa negantem:

scis me Scorpo Thalloque daturum:
Atque utinam centum millia sola darem.

Scorpus et Thallus agitatores erant tunc temporis celeberrimi.

SATIRA XII.

Vs. 1.

Natali, Corvine, die mihi dulcior haec lux,

Praeter cod. Pithoei et alios optimae notae, etiam Servius ad Virgil. Ecl. III, vs. 76, quem Cramerus laudat, antiquam nobis scripturam *dulcior* servavit, cuius locum tum *carior* et *clarior* in libris et scriptis et excusis occupabant: quarum Ruperto alterutra vulgatae lectioni visa est praestare. *Carior* vero glossam vocis *dulcior* redolere, quisque videt: usitatius enim illud in hac compositione et tritius est alterum pariter atque *clarior*, quod tamen hoc loco, ubi poeta gaudium suum de prospero Catulli reditu maximum exprimit, ideoque voce *dulcior* utitur, multo minus ferendum est. Apud Stat. Silv. lib. I, Silv. 2, vs. 209., quem Handius in defendendam lectionem *clarior* adhibuit, res plane alia est, et ab hoc loco valde diversa.

Aliam glossam versu tertio deprehendimus in multorum librorum scriptura *caedimus*: scholiastes et cod. Pithoei hic quoque habent *ducimus*, quod Tonantem mireris sprevisse in versione germanica. Pontanus ad illud Macrobii lib. III, cap. V. *ut si hostia, quae ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata*" *ducere* solemnem ea in re dictionem esse animadvertit.

SATIRA XII, vs. 13.

Laeta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret et a grandi cervix ferienda ministro.

Non intelligo, cur Rupertus vs. 13 orationem scabram

atque impeditam dicat, ideoque pro *sanguis* ponendum putet *sacri*, Virgilii *flumen sacrum* et Claudiani *sacras undas* Clitumni adducens. Quis est enim, qui offendat in mutato subiecto, qua mutatione nihil frequentius apud poetas? Modo cogitatione suppleas ad *sanguis* genitivum pronominis *eius* i. e. tauri. Deinde quamquam *sacer* apud alios poetas epitheton Clitumni aquarum est, id tamen hoc loco non desidero, utpote omni vi destitutum. Unice verum est *sanguis:* nam hoc versu et seq. victima describitur, cuius sanguis, quum profluere-ret, purus, incorruptus, non vitiatus esset, quaeque magnitudine excelleret. Atque tales Romanis non modo magnae, sed etiam interioribus partibus sanissimae, in Umbria et Clitumni aquae salubritate et adiacentium pascuorum bonitate nutriebantur. Virgil. Georg. lib. II, vs. 146 sqq.

Hinc albi, Clitumne, greges, et maxuma taurus
Victima, saepe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa deum duxere triumphos.

Cf. Plin. epist. lib. VIII, ep. 8. *Laeta pascua*, ut apud Horat. lib. IV, od. 4, vs. 13. de pratorum fertilitate et ubertate intelligenda sunt.

SATIRA XII, vs. 17 sqq.

Describitur saevissima tempestas, cuius pericula Catullus, poetae amicus, effugerat:

Nam praeter pelagi casus et fulguris ictum
Evasi densae coelum abscondere tenebrae
Nube una subitusque antennas impulit ignis,

Haec scriptura est, quam in omnibus editionibus ex-

pressam videmus, sed mendo laborat locus, quo remoto etiam alia interpunctio necessaria erit. Participium *evasi* quamquam codd. tam multitudine, quam auctoritate confirmatur, tamen barbarum dicas atque inauditum. Ms. Isaaci Vossii et Pithoei habet *evasit*, quod assumere nemo dubitabit, nisi cui vitiis codd. adhaerere placeat. Nunc vero tota immutata est facies loci, et immutata aliquantum verborum sententia. Ita enim cum illis codd. scribas:

Nam praeter pelagi casus et fulminis ictum
Evasit. Densae coelum abscondere tenebrae
Nube una subitusque antennas impulit ignis,

Evasit Catullus non modo maris pericula, sed etiam fulminum ictus. Particula *et* h. l. idem quod *etiam*, ut iam Rupertus animadvertit, etsi vulgatam lectionem ratione quidem, sed non probanda, retinet. Deinde incepta a verbis *Densae coelum* etc. tempestatis narratione, ignis, qui subito in antennas incidit, non est flamma Helenae, cuius tanta sit vis incendii, ut malum et navem pertundat, sed fulmen coruscum, cui etiam sequentia *illo percussum* maxime conveniunt. Nam *fulmine percuti* vulgaris dictio est. Neque scholiastes aliam habuisse videtur interpungendi rationem, quia verba *subitus ignis* ita explicat: *Fulmen impulit antennas cum velis*. Cf. etiam Cramerum ad hunc locum.

SATIRA XII, vs. 23.

Omnia fiunt
Talia, tam graviter, quam quando poetica surgit
Tempestas.

Ita scribendum censeo ex Schurzfleischii emendatione, quae, etsi a Ruperto et Cramero in dubium vocata sit, mihi tamen maxime probabilis videtur. Dicit ille: Puto legendum *quam quando*. In primigenio exemplari fuerit QUANdo. Maiores literae notabant, syllabam bis legendam: sed exscriptores, ut saepe in bonis auctoribus factum, rei non attendebant: ut tamen versui consulerent, *si quando* posuerunt. Non aliter Schol. legisse, olara eius verba docent: *id est, tales tempestates contingunt navigantibus, quales fingere solent poetae.*" Carpit Iuvenalis etiam hoc loco, ut sat. I, vs. 7 sqq. obiter suae aetatis poetas, qui gravitatis et sublimitatis ostentandae gratia cupide arriperent suis carminibus tempestatum descriptiones, et omnem artem in iis immoderate depingendis collocatam arbitrarentur. Quo si spectas, praeferatur ex mea sententia *quam quando* necesse est. Poeta enim, ne ipse longius naufragii pericula exponat, hac faceta orationis forma utitur *omnia fiunt talia, tam graviter* etc., quasi dicat, ut prosaici scriptores solent: quid multa? ne longus sim in augendis iis, quae Catullus atrocia perpessus est, eadem in sublimibus poetarum nostrorum tempestatum figmentis enarrata inveniuntur. Verum ubi vulgatam lectionem *si quando* excipias, alia existit sententia, nec satis apta huic loco, nec gravis admodum satiricae di-

cendi rationi. Lectores enim tum non ad naufragiorum descriptiones, illo tempore Romae pervulgatas, ablegantur, inde ut discant, quid porro acciderit naviganti Catullo, sed admonentur tantum a Iuvenale, eadem naufragii mala, quae a vs. 17—22. exposita sint, repeti in declamationibus, si quando atrox et saeva tempestas fingatur a poetis.

SATIRA XII, vs. 30 sqq.

Quum plenus fluctu medius foret alveus et iam,
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertae, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem:

Nihil attinet referre, quae viri docti ad vs. 31. 32. difficultate non vulgari impeditos proposuerint: hoc autem affirmare ausim, eorum coniecturas ita comparatas esse, ut nihil habeant probabilitatis. Unius tamen conatum commemorabo, viri tam ingenio excellentis, quam eximia elegantia praediti, Iacobsium dico, qui in Miscell. phill. Matthiaei T. I, pag. 88 sq. pro *arboris incertae* scribi suadet *aequoris incerti*, quae quidem emendatio per se bona est, dictioque similibus poetarum exemplis stabilitur, sed quia vulgata scriptura defendi potest, non assumenda. Ceterum lectio *arboris incerto* multorum mss. et veterum editionum laudanda est, quae non debebat ab interpretibus tam negligenter praetermitti. Habet eam Ascensius et alii, quamquam illius explicatio mihi valde displicet. Inde si quid forte auxilii petendum esset, interpunctionem post *incerto* sublatam ponerem post *undis*: quo modo neque illa

loquutio *nullam conferret opem*, dativo addito, tam nuda esset. Tum adiectivum *incerto* vicem substantivi sustinet, sicuti in exemplis *incerta casuum, maris, inania rerum, vana rerum*, aliaque, quae Tacito et seriori omnino aetati familiarissima sunt: at rarius singularem adiectivi, pro substantivo collocatum invenies. Aliam nuper interpungendi rationem, hac scriptura electa, Cramerus proponit ad schol. pag. 462.

Cum plenus fluctu medius foret alveus, et iam
Alternum puppis latus evertentibus undis,
Arboris incerto: nullam prudentia cani,
Rectoris cum ferret opem,

hoc sensu, et iam alternum latus plenum fluctu foret, evertentibus id undis ob vacillationem et incertitudinem arboris s. mali, *durch das Schlenkern des Mastes*. *Incerto* ex Mss. est, et substantive capiendum, ut iam Mancinellus vidit, neque id alienum esse ab optimis scriptoribus, viri docti dudum ostenderunt." Sed neque hanc, utpote difficilem intellectu, neque illam, nec quamcumque aliam correctionem huic loco adscriptam probaverim, quia, ut iam dictum, vulgata et potest et debet defendi. Haeserunt interpretes in duplicis genitivi iunctura, et quidem verborum, quae quocumque modo explicare tentas, idem significant. Nam *puppis* pro tota navi dicta est, idemque exprimit *arbor*. *Alternum puppis latus evertentibus undis* i. e. undis navem modo in dextrum, modo in sinistrum latus iactantibus. Iam non expectantur verba *Arboris incertae*, sed quum adsint, uberiore sermone addita dicas, perinde ac si non antecedat *puppis*: explicanda igitur ex

Graecorum more, quibus eiusmodi verbositas haud infrequens est, ut Eurip. Phoeniss. vs. 47 sqq.

Κρέων ἀδελφὸς τἀμὰ κηρύσσει λέχη,
Ὅστις σοφῆς αἴνιγμα παρθένου μάθοι,
Τούτῳ ξυνάψειν λέκτρα·

ubi quum λέχη et λέκτρα inter se longiori verborum complexu paulum distent, minus habent admirationis, quam Soph. Philoct. 747 sq.

Πρὸς θεῶν, πρόχειρον εἴ τι σοι, τέκνον, πάρα
Ξίφος χεροῖν, πάταξον εἰς ἄκρον κόδα.

Eurip. Hercul. Fur. vs. 10 sq.

ἦ πάντες ὑμεναίοισι Καδμεῖοί ποτε
Λωτῷ ξυνηλάλαξαν.

Ex latinis poetis duo tantum addam loca, quae quodammodo huc referenda sunt. Statius Achill. lib. I, vs. 109.

Signa tamen divumque tori et quem quisque sacrarat
Accubitu genioque locus monstrantur.

ubi Chironis Centauri speluncam describit, in qua signa et lecti conspiciebantur. Ita satis erat: attamen verba, quem quisque sacrarat *accubitu*, addidit, quasi antecedentis *tori* immemor fuisset. Locus ex aggerata verborum coniunctione similis invenitur apud Horat. lib. IV, od. 4, vs. 15.

fulvae matris ab ubere
Iam lacte depulsum leonem,
Dente novo peritura, vidit:

quem Bentleius ob verba *leonem ab ubere lacte depulsum* ex more suo rationibus, quae dicuntur, logicis aggressus infeliciter mutavit. Quamquam alterutra di-

ctio satis erat, tamen Horatio, ut poetae, utramque rei accurate describendae causa coniungere licebat. Neque offensioni erunt amplius verba, si Horatium Graecum exemplum expressisse statuas, et in verbis *lacte depulsum* unam notionem, ut nos dicere solemus *abgesetzt*, et Graeci *ἀγάλακτος*, v. Aeschyl. Agamemn. 723 sqq. ed. Schütz.

ἔθρεψεν δὲ λέοντα
σίνιν δόμοις ἀγάλακτον
οὕτως ἀνὴρ φιλόμαστον

contineri affirmes. Sed ut ad Iuvenalem hoc addam, habet praeterea verbositas illa ex eo aliquam excusationem, quod praedicatum genitivo *arboris* accedit, quo vividiorem de navis statu imaginem animo imprimamus: quo quidem deficiente non dubitarem diutius verba corrigentibus assentire. Epitheton *incertus* convenit navibus, idemque est, quod *instabilis* Virgil. Georg. IV, 195. Ovid. Metam. II, 164.

SATIRA XII, vs. 43 sq.

Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas,

Vix credi potest, quantopere viri docti in nomine *Parthenio* explicando nugentur: scholiastes caelatorem, sculptorem intelligit Grangaeus, Winkelmannus in hist. art. T. IV, 4, 16. figulum, et Achaintrius adeo de egregio caelatore fabulatur. Sed iam Lessingius in Laocoonte pag. 293. 294. ed. sec. de his interpretationibus optime iure dubitavit, et Rupertus, sepositis illorum figmentis, primus lucem intulit verbis, quatenus

sub *lances Parthenio factas*, Samia vasa hoc loco intelligenda esse contendit. Sed quod *Partheniae* scribi suasit, neque Heineckium sequutus est, *Parthenio* graeca constructione dativum esse monentem, in eo vehementer erravit. *Partheniae* quidem per se non vituperandum est, retinendum tamen id, quod omnes codd. et veteres editiones probant, *Parthenio* et Sami incola intelligendus, etsi nullus praeter hunc amplius inveniatur locus, ubi Samius *Parthenius* dictus sit. Tamen Samon, auctore Plinio hist. nat. lib. V, cap. 37, Partheniam primum appellatam Aristoteles tradit, idemque Varro apud Lactantium lib. I. Instit. cap. 17: „Samum insulam scribit Varro prius Partheniam nominatam, quod ibi Iuno adoleverit, ibique etiam Iovi nupserit.“ Cf. Pausan. lib. VII, cap. 4. Apul. asin. aur. lib. VI, pag. 459. Strabo contra Παρθενίαν dictam censet a Parthenio amne, Samon urbem praeterfluente, cuius sententiam Theodor. Panofka in libello de rebus Samiorum Berol. an. 1822. defendit. Sed quoquo modo sese hoc habet, vasa ibi fictilia confecta fuisse constat, quae Romanis iuxta argentea in deliciis erant. Plin. hist. nat. lib. XXXV, cap. 46. *Maior quoque pars hominum terrenis utitur vasis. Samia etiamnunc in esculentis laudantur.* vid. not. Harduini. Auctor ad Herennium lib. IV, cap. 51. *Argentum quoque vult? utatur licet, nos Samiis delectabimur.* Tibull. lib. II, el. 3, vs. 47. *At tibi laeta trahant Samiae convivia testae.* Plaut. Capt. act. II, sc. 2, vs. 41. *Ad rem divinam quibus est opus Samiis vasis utitur.* Stich. act. V, sc. 4, vs. 12. *at nos nostro Samiolo poterio vivimus.*

SATIRA XII, vs. 53 sqq.

sed nec
Damna levant. Tunc, adversis urgentibus, illuc
Decidit, ut malum ferro submitteret: hoc se
Explicat angustum,

Ut ab ultimis verbis exordiar, plures ibi Codd. lectiones *ac se*, *at se*, in uno Zwickaviensi *hac se*, et in uno Ruperti *hac re* inveniuntur, e quibus quod dedi *ac se*, nunc improbo, Plathneri *hoc se* praeferens, cuius quidem allatae lectiones vestigia praebent, quaque verborum structura, vulgari illa lectione vehementer impedita, facilius procedit. Ac verba, quae sequuntur, *discriminis ultima quando* etc., sive ante ea maiorem interpunctionem, sive comma ponas, appositionis quandam speciem continere videntur hoc sensu: succisione mali sese expedit ex angustiis, quibus inclusus erat, quod ultimum, quando adhibetur, periculi remedium est, sive, haec praesidia discriminis ultima sunt, quum ea afferimus, ut abscindamus scilicet malum, quo navis levior fiat.

Deinde *decidit* ex libris revocandum est, utpote plurimorum auctoritate firmatum et sine dubio ob rariorem ipsius usum expulsum. Breviter, at egregie Grangaeus: Ms. meus *decidit*, vere et qua ratione dicunt nostrates, il en vient là. „Vocem *recidere* saepissime a librariis cum altera *decidere* non modo apud poetas, apud quos iusta in prioris syllabae producendae studio causa cernitur, sed etiam apud prosaicos scriptores permutatam satis constat. vid. Conrad. Leop. Schnei-

deri l. l. gr. tom. II, pag. 586. Ernestium ad Tacit. Annal. III, 59. ad Sueton. Claud. cap. 9. Usitatius est *recidere* in hoc sensu, ut sit *res eo rediit, eo redacta est*, quam *decidere*, sed hoc eadem vi apud seriores scriptores obvium est, neque idcirco Iuvenali adimendum. Tacit. Annal. III, 59. *huc decidisse cuncta, ut ne iuvenis quidem, tanto honore accepto, adiret urbis Deos, ingrederetur Senatum, auspicia saltem gentile apud solum inciperet*, ubi Ernestius *recidisse* scribi volebat, quod tamen ipse tacite refutavit animadversione ad libr. II, cap. 38. ad extr. Sueton. Claud. cap. 9. *ad eas rei familiaris decidit*, i. e. redactus est. Plin lib. IV, epist. 11. *nunc eo decidit, ut exsul de senatore fieret.* Vid. Oudend. et Brem. ad Sueton. Claud. l. l.

Denique in verbis *sed nec damna levant* interpretes haeserunt, eaque Rupertus, quia ellipsin *navem* aliis probatam durissimam censebat, in *sed nec damna iuvant* mutavit. Recte adversatur ei Heineckius, loco e Virgil. Aen. lib. I, vs. 145. 146. citato:

Detrudunt navis scopulo: levat ipse tridenti
Et vastas operit Syrtes et temperat aequor.

qui tamen, quum eodem versu *navis* inveniatur, idemque ad sequentia pertineat, cum hocce Iuvenalis, a quo *puppis* vs. 31. longissime distat, non comparandus est. Nihilominus tamen duram dixerim *navis* ellipsin: describuntur enim per totum hunc locum pericula navis fluctibus iactatae, adduntur remedia, quibus Ca-

tullus naufragii calamitati evadere volebat, et in ipso verbo *iactatur* vs. 52. cogitemus necesse est navem, de qua utensilia in mare iaciuntur: unde *navis* res primaria est, quae lectoris animo h. l. obversatur, ideoque de facillima eius ellipsi non dubitandum. Praeterea conferri potest Tacit. Ann. lib. I, cap. 25, ubi similem naufragii descriptionem habemus: *equi, iumenta, sarcinae, etiam arma praecipitantur, quo levarentur alvei, manantes per latera, et fluctu superurgente.* Prius *levant* absolute positum putabam hoc sensu: ne iactura quidem bonorum quidquam prodest, nullam opem confert, ut nos loquimur der Verlust bringt keine Erleichterung: in qua sententia etiam nunc perseverarem, si mihi ad probandum hunc verbi usum exempla in promtu essent. Respiceret tunc Iuvenalis ad verba vs. 32.

SATIRA XII, vs. 92.

Et matutinis operatur festa lucernis.

Lipsius Elect. I, 3. dedit ex emendatione *operitur*, h. e. tegitur, vestitur, quod si cum *operatur* comparaveris, vi et gravitate postponendum est. Rectissimum sine ulla dubitatione est *operatur*, quod etiam plurimi Codd. habent, ad ianuam necessario referendum. *Festa ianua operatur* significat operam dat lucernis matutinis, h. e. appenduntur in ea lucernae, quibus matutino tempore dies festus celebretur. Sever. in Aetna. vs. 1381.

magnis operata rapinis
Flamma micat.

Vide Wunderl. ad Tibull. II, 1, 65, 3, 36. Si quis tamen *festa* subiectum esse velit et lectionem *operantur* sumat, equidem non repugno: receptam tamen graviorem et praestantiorem duco.

SATIRA XIII.

Vs. 3 sq.

Si quis impie aliquid, dicit poeta, sceleratequeque commiserit, vexatur malis cogitationibus, malaque animi conscientia exagitatur,

improba quamvis
Gratia fallaci praetoris vicerit urna.

Improba gratia ad iudices a praetore corruptos, ut reo, non iuri prospicientes tabellas in urnam absolutionis coniicerent, referenda est. Ideo *fallax*, quod praetori, sive quaesitori proprium est, urnae tribuitur ea poetarum lege, qua adiectiva non raro, notionibus inter se permutatis, a persona ad rem transferuntur. Quod ubicumque factum est, neque metri ratio, ut vs. 9 et 99 obstitit corrigenti, animadvertimus fere semper in mss. lectionum diversitatem, epitheto in hoc Cod. huic substantivo, in illo alteri tributo. Cf. Ovid. II. Am. XVIII, 4. *Ignava Veneris cessamus in umbra*, ubi plures *ignavae* habent. Virgil. Aen. I, 209. Sed in eiusmodi casibus haec probata lex est, ut tametsi pauci libri, modo ne pessimae notae sint, difficiliorem scripturam tueantur, eorum auctoritati plus tribuendum sit momenti, quam reliquis. Hoc loco vel unus Pithoeanus codex valet ad *fallaci* defendendum. Praeterea

non debebat Achaintrius, etiamsi *fallacis* ipsi vehementer placeret, *urna* cum accusativo commutare: ablativus enim in hac structura praestat. Cic. pr. Rosc. Com. c. ult. *Vincere iudicio.* Horat. Sat. I, 2, vs. 134. *miserum est: Fabio vel iudice vincam.*

SATIRA XIII, vs. 70.

tamquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris et lactis vortice torrens.

Quod Schraderus h. l. coniectura *niveis* vel *nigris*, Iacobsius *rubris* efficere voluit, idem scholiastes hac explicatione: aut *lacteis*, aut *sanguineis*. Habebat in suo exemplari *gurgitibus miris*, et nihil mutandum est: quare optimo iure illi ab Heineckio vituperantur. Nemo enim *gurgites miros* mirari debebat, siquidem *mira* et *miracula* veteres, teste Nonio cap. 12, n. 15, prodigia, monstra, portenta, omnia, quae praeter naturam fierent, dicebant. Plaut. Amphit. act. V, sc. I, vs. 64. *Mira memoras, nimis formidolosum praedicas facinus.* Virgil. Georg. lib. I, vs. 477, quem Iacobsius laudat, *simulacra modis pallentia miris Visa sub obscurum noctis.* Georg. lib. IV, vs. 441. de Proteo: *Omnia transformabat sese in miracula rerum.* Gurgites miri igitur sunt, qui, inversis naturae legibus, insolitam faciem sumserunt, qui lacte fluxerunt, quod statim additur. Hinc *aut*, quod Iacobsius scripsit, non praestat, quamquam id scholiastam, quantum ex eius adnotatione liquet, legisse videtur: neque gurgites miri cum Grangaeo ad nimiam vim aquae, quae religionem faciat, et inter portenta ponatur, referendi sunt.

SATIRA XIII, vs. 131 sqq.

Nemo dolorem
Fingit in hoc casu, vestem deducere summam
Contentus, vexare oculos humore coacto.
Ploratur lacrimis amissa pecunia veris.

Vs. 132. cum Ruperto vocabulum *deducere* retinui, et ipsa significatione, et auctoritate librorum satis defensum. Hoc enim, ut Ruperti et Achaintrii codd. praeteream, Ciofanius ad Metam. lib. XIII, vs. 264. in quatuor veteribus exemplaribus bibliothecae Vaticanae, in scripto libro Alexandri Farnesii Cardinalis, et in duobus Petri Salesii Hispani inveniri testatur. Ubicumque in veteribus auctoribus *deducere* legimus, libri fere semper inter hoc et alterum *diducere* discrepant. Utrumque dici potest de veste; illud, si ab humero vestis soluta detrahitur, quod fit, quum pectus plangere volunt. Ovid. Metam. lib. III, vs. 480.

Dumque dolet, summa vestem deduxit ab ora
Nudaque marmoreis percussit pectora palmis.

Alterum autem *diducere*, ut iam ex compositione eius apparet, est distrahere, inque re lugubri de veste adhibitum significat vestem prae magno luctu lacerare, discindere. Calpurnius eclog. III.

protinus ambas
Diduxi tunicas et pectora nuda cecidi.

quae tamen significatio non in hunc Iuvenalis locum cadit. Sententia est: nemo, pecunia amissa, dolorem fingit, nemo contentus est vestem summam humeris detrahere, sed dilacerat eam, gravi luctu correptus.

SATIRA XIII, vs. 138.

gemmaque princeps
Sardonychum,

Recentiores editores novam et inauditam formam *sardonychus* ex plurimis libris receperunt, altera *sardonychum*, quia in paucis tantum codd. inveniatur, reiecta, sed ex mea sententia verissima. Quod Achaintrius Iuvenalem solum hanc gemmam vocavisse *sardonychum* dicit, id ipsum admonere eum poterat, ut de hac lectione dubitaret, praesertim quum Sat VI, vs. 382. et VII, vs. 144. communis reperiatur forma. Neque Ruperto assentior, genitivum pluralis voc. *sardonyx* ab hoc loco alienissimum esse, et dicendum potius fuisse *gemmarum princeps sardonyx*. Sed vir optimus ipse videat, hac scriptura revocata, nihil esse, quod sententiae contrarium sit, audiatque Matthiam Gesnerum in lexico: „*gemma princeps Sardonychum* i. e. signum gemma impressum, quam ob pretium principem sardonychum vocat.“ Ex hac brevi adnotatione simul apparet, Germanum cautius egisse Italo Forcellino, lexicon suum ex h. Iuvenalis loco nova voce locupletante. *Sardonychus* tribuas potius librariis, graecum genitivum sardonychos, quem in libris quibusdam invenerint, male intelligentibus.

SATIRA XIII, vs. 140—142.

Ten', o delicias, extra communia censes
Ponendum? Qui tu gallinae filius albae,
Nos viles pulli nati infelicibus ovis?

Facetam his versibus Calvini, qui amici perfidia decem sestertia amiserat, irrisionem habemus, quae tamen, si Mansonis coniectura *Ten' et delicias*, qua voce numi intelligendi sint, comprobetur, valde minuitur, aut potius exstinguitur. Omnis vis in verbo *o delicias* cernitur, et necessarium est, ut homo delicatulus, qui se diis carissimum, neque cum aliis hominibus comparandum putet, designetur, quia hac exclamatione facetiae verborum *Qui tu gallinae filius albae* partim praeparantur. *Gallinae filius albae* idem valet, quod *Fortunae filius* apud Horat. Sat. II, sat. VI, vs. 49. Praeterea enim, quod Romani, quae bona, honesta, laeta, auspicata erant, alba et candida vocabant, *filius gallinae albae* etiam in proverbium, teste scholiasta, abiit, sicque dictus est, qui aliquid peculiare esse voluit. Hoc inde factum, quod pulli gallinae albae, quam minime fecundam fuisse Columella de re rustica lib. VIII, 2, 7. tradit, rarissimi habebantur. Nam quod Sueton. vit. Galbae cap. 1. de magna albae gallinae, in Liviae gremium demissae, fecunditate narrat, portentum est, ille autem avium naturam describit. Quare satis mirari non possum, quod Rupertus, etsi ipse Columellae locum affert, et verborum nexu minime adiuvatur, tamen coniecturam *qui tu gallinae filius Afrae* proponit, eo scilicet commotus, quod aves illae ex Africa Romam devectae ob raritatem in deliciis ibi fuissent. Quasi vero potuerint inde ii, qui fortunati sunt, temere illarum dici filii. Obstat etiam adiectivi *albae* mutationi id, quod oppositum est *pulli nati infelicibus ovis*. Neque probandum est, quod Achaintrius in editione

excudendum curavit *Te nunc, delicias!*: nihil enim refert, quo se temporis momento ille homuncio a communi fortuna eximendum censeat: neque laudandum, quod idem, interrogandi signo vs. 132. sublato, scripsit *quia tu gallinae*. Ex Ruperti scriptura *Qui*, signo illo non mutato, oratio multo vividior est, et, quia haec verba inchoatae sententiae latius explicandae causa per interrogationem egregie adduntur, idcirco Iuvenali accommodatior. *Qui* respondet nostro *Wie?*, ut apud Cicer. de nat. deor. lib. I, cap. 30. *Qui potest esse in eiusmodi trunco sapientia? Quia* sine dubio librariis debemus, nescientibus, quomodo *qui* capiendum sit.

SATIRA XIII, vs. 172.

sed illic,
Quamquam eadem assidue spectentur proelia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior.

Consideratius egit Iacobsius in versu 122 emendatione *quandó eadem assidue spectantur* allata, ac Rupertus, qui, quod vox *quamquam* a loco plane aliena ipsi videretur, totum ab ingenio interpolatoris profectum existimavit. Huic bene respondet Achaintrius, in omnibus exstare codicibus illum versum. Attamen Iacobsii non opus est correctione, siquidem in sententia, particula *quamquam* servata, nihil animadvertimus vitiosi. Apud nos, inquit, si quando eiusmodi pugnam spectes, vehementer rideas, illis vero tale spectaculum, quum vulgare sit, risum non praebet, quamquam exspectandum sit, ut tandem rideant, quum eadem bella, non alia, et quidem assidue, i. e. uno tenore gerantur.

SATIRA XIII, vs. 178—180.

Sed corpore trunco
Invidiosa dabit minimus solatia sanguis,
Ac vindicta bonum est vita iucundius ipsa.

Haec verissima Achaintrii et interpunctio et scriptura est, quam etiam Cramerus ad scholiastam pag. 496. probavit. Verba sunt Calvini, poetae antea dicenti, damnum acceptum vel gravissima poena non resarciri, respondentis, sibi minimum sanguinem, e mutilato scelesti hominis corpore emanantem, solatia praebere amplissima, et vindictam vita ipsa iucundiorem esse. Non alia Ruperti explicandi ratio est, erravit tamen vir optimus, quod particulam *At* reservatam affectui convenientiorem existimavit. Sed ea nihil prodest hoc loco, et turbat potius orationem, quae tum demum bene procedet, si cum Achaintrio vel *Ac*, vel quod cod. Zwickaviensis praebet, *Et* posueris. Denique priorem interpretationem si consideramus, ex qua etiam verba *Sed corpore trunco* usque ad *sanguis* Iuvenali tribuuntur, et solatia invidiosa intelliguntur, quae invidiam conflent et odium, ea idcirco molestissima est, quia tunc causa, cur *minimus* additum sit, nullo modo apparet.

SATIRA XIII, vs. 244 sq.

Dabit in laqueum vestigia noster
Perfidus et nigri patietur carceris uncum.

Consolatur poeta Calvinum hoc dicto: qui semel peccavit, is iterum ac saepius peccabit, uno non conten-

tus flagitio, ut tandem deprehensus solvat poenas: quare tu, Calvine, noli desperare, perfidum illum tibi aliquando pro sua in te iniustitia satis esse facturum. Capietur criminum convictus, et in nigrum carcerem coniectus, unci poenam patietur, i. e. trahetur unco gutturi infixo vel ad scalas Gemonias vel in Tiberim. *Uncus* igitur non est catena carceris, quam Rupertus, a Cramero pag. 508, ut nunc video, iam refutatus, et alii h. l. intellexerunt: neque translata dictio est *dare in laqueum vestigia*, sed quemadmodum in custodiam dare et alia eius generis propria vi et potestate explicanda, nisi quod vestigia pro ipsis pedibus, nec tamen inusitate, collocantur. Vid. Senec. Thyest. vs. 1039. Oed. 812.

SATIRA XIV.

Vs. 45.

Procul hinc, procul ite puellae
Lenonum et cantus pernoctantis parasiti.

Ita scripsi Wunderlichio monente in obss. ad Tibull. pag. 144. *Procul*, inquit, cum vi repetitum Tibull. II, 1, 82, et apud Iuven. XIV, 44—46, ubi e codicibus duobus Paris. leg. *Procul hinc, procul ite puellae.* Nam verba *hinc — inde* significant *ab hac* et ab *illa parte*, vid. ibid. 12, 13. *Barbatos licet admoveas mille inde magistros, Hinc totidem.* Rectius dici poterat, si metrum permitteret *Procul hinc, procul hinc*, ut apud Ovid. Metam. lib. VII, vs. 255.

Hinc procul Aesonidem, procul hinc iubet ire ministros:
Et monet arcanis oculos removere profanos.

et Silium Italicum lib. XVII, vs. 26.

Et procul hinc, moneo, procul hinc quaecumque profanae.

Vid. Brisson. de formulis lib. I, pag. 2. edit. 1732. Sed ad illam scripturam stabiliendam conferas Statii Silv. lib. III, silv. 5, vs. 13.

adeste
Dique hominesque sacris. Procul hinc, procul ite nocentes.

SATIRA XIV, vs. 49 sq.

Sed peccaturo obstet tibi filius infans.

Minime dubitandum est, quin scriptura a Ruperto iam recepta alteri praeferri debeat, a librariis ad hiatum evitandum inventae. Sed hiatus non tam molestus est in syllabarum longarum et in aures cadentium concursu. Aliud eiusdem generis exemplum, atque huic, nisi quod interpunctio syllabis ibi elidendis intercedit, simillimum Sat. XIII, 65. habemus, ubi mira quoque lectionum varietas invenitur.

SATIRA XIV, vs. 62—67.

Tria in horum versuum serie animadvertenda erunt, parva quidem, sed ob virorum doctorum dissensum memoratu dignissima. Primum vs. 62. sine ulla cunctatione scribendum est *hic leve argentum*, cuius loco Achaintrius, codicibus Parisinis magis, quam iudicio suo et rationibus confisus, vitiosam propagavit in editione scripturam *hic lavet argentum*. Qua admissa tollitur apta et aperta verborum *leve* et *aspera*

oppositio, in qua *leve argentum* vasa argentea, in quorum superficie extuberantia nulla est, aspera contra figuris eminentibus caelata significant. Accedit etiam, quod *tergere* de argenteis, aureis vasis, de clipeis aliisque eius generis rebus rectius dicitur, ac lavare. Cf. Virgil. VII, 626. *Pars levis clipeos et spicula lucida tergunt.*

Nec minus idem vs. 63. iusto maiorem codicibus suis fidem tribuit, praeferens *fremit*, qua h. l. altera multo significantior est. *Furit vox domini* etc. est dominus furibundus alte vociferatur convicia in servos effundens: quibuscum verbis Macrobius lib. I, cap. XI, qui saepe Iuvenalem ante oculos habuit, comparetur: non habemus, inquit, illos (servos) hostes, sed facimus, cum in illos superbissimi, contumeliosissimi, crudelissimi simus; et ad rabiem nos cogunt pervenire deliciae, ut quidquid non ex voluntate respondit, iram furoremque evocet. Domi enim nobis animos induimus tyrannorum. — virga murmur omne compescitur.

Vs. 67. vulgata est *emendat*, pro qua codices pauci, nec optimae notae *emundat* habent, faciliorem scripturam, et vel explicandi causa difficilioris verbi, vel, ipso verborum sensu adstipulante, a librariis introductam. Illam plurimi libri tuentur, cuius praeterea defendendae hanc habemus rationem, quod etiam in sequentibus poetae animo emendandi notio obversata videtur. Curas, inquit, ut lutum ex atrio removeatur, sed emendandis domus tuae moribus non impedis, quominus filius pravo exemplo corrumpatur.

SATIRA XIV, vs. 70—72.

Gratum est, quod patriae civem populoque dedisti,
Si facis, ut patriae sit idoneus, utilis agris,
Utilis et bellorum et pacis rebus agendis.

Bentleius ad Horat. lib. III, od. VI, vs. 20. *patriae* in *patribus* mutavit, ut perpetua illa formula *patres populusque*, qua poetae, sicut prosae orationis scriptores *senatus populusque Romanus*, uterentur, conservaretur. Tum etiam tantopere offendit in voce repetita, ut exclamaret: Vah, quam inficeta et inconcinna repetitio est *patriae, patriae!* At repetitio ad sententiam hoc loco, ut alibi saepissime, pernecessaria est, et errant omnes ii, qui apud latinos poetas nescio ex qua praeiudicata opinione easdem voces bis terve positas omnino aegre ferant. Ad quos inde errores criticus ille eximius corrigendo verbum *patriae* in *patribus* delatus sit, quisque sentiet, qui secum reputat, poetam sub imperatoribus vixisse, eo ipso tempore, quo senatui nihil, nisi nomen et levis umbra pristinae dignitatis, auctoritatis et potentiae relicta erat, ideoque liberos procreatos non patribus, sed proxime imperatori populoque gratos et utiles fuisse. Potuit autem patriam: quae quum h. l. coniuncta sit cum populo, respublica est, et quidquid civium utilitati, saluti et securitati servit, complectitur. Inde apparet, cur Iuvenalis a patre postulet in universum, filius *patriae sit idoneus*, i. e. filium egregia educatione bonum civem reddas, qui nulla re institutis reipublicae noceat, sed eius commodis quovis modo prospiciat. Iam tria

adduntur, et quidem ea, quibus civium salus et securitas nititur. Nimirum si saluti civium consulitur, cives primum necesse est habeant, unde vivant; accedere deinde debet, ut ii, si bellum eruperit, ab hostibus defendantur, eorumque iura pacis temporibus serventur: quare filium, inquit, ita instituas, ut non modo agriculturae exercendae intentus sit, sed etiam belli et togae artibus excellat.

SATIRA XIV, vs. 115 sq.

Poeta quum antea dixisset, avaritiam frugalitatis et parsimoniae nomine commendari, et nequaquam pro vitio haberi, inde ut avarus non turpis et scelestus, sed parcus et frugi dicatur, pergit augendis antea expositis:

adde, quod hunc, de
Quo loquor, egregium populus putat atque verendum
Artificem,

h. e. qui avarus est, sed parcus mitiore nomine appellatur, quia omnia quocumque modo congerit et quasi corradit, eum adeo egregium, eamque ob causam veneratione dignum artificem dicunt, ita ut mirari non debeamus, si alii hac laude et huius appellationis suavitate commoti ad id vitium magis impellantur. Qualis autem ille artifex intelligendus sit, docent non modo proxima, *quippe his crescunt patrimonia fabris*, sed cum maxime totius loci connexus. Quapropter *acquirendi*, quod quidem praeter scholiastam etiam alii libri habent, noli, quum frigidum sit omnique vi, si alterum spectes, destitutum, cum Ruperto defendere

et amplecti. Nempe id artifici, ut opinabantur, accuratius definiendo additum librarii, praesertim quum versus 125. interpretationis ansam praeberet, tamquam poetae verbum receperunt.

SATIRA XIV, vs. 117.

Ipse quoque esuriens: neque enim omnia sustinet umquam
Mucida caerulei panis consumere frusta.

Vetus interpres ad haec notat: *omnia sustinet: duo negativa confirmativum faciunt:* unde aliam h. l. scripturam in prisco libro circumlatam fuisse probabile fit, nisi scholiastam casu nescio quo, fortasse tamen verbis recte explicandis deceptum, illa animadvertisse sumere malimus. Certe tale quid potius statuendum est, quam ut sententiam, quae mutatione Schurtzfleischii, scholiastae notatis sese accommodantis, procedit, praeferamus ei, quam omnium librorum lectio exhibet. Haec enim describendae avari naturae et indoli multo accomodatior est, quippe qui, etiamsi fame crucietur, mucida panis frusta non audeat consumere.

SATIRA XIV, vs. 119—122.

Et pater ergo animi felices credit avaros,
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putat, iuvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant et eidem incumbere sectae.

Achaintrii scripturam et interpunctionem nemo erit, qui imitetur, siquidem ea et totius loci sententiae adversatur, et misere orationem perturbat. Nam duris-

simum est et minime ferendum, quod, quum pater avaros vs. 119 animi felices praedicans inveniatur, alii, qui eadem cogitatione ducti ad avaritiam iuvenes incitant, interponuntur, et vs. 123 denique oratio rursus ad patrem, ne pronomine quidem indicatum, recurrit. Hoc solum abstinere Francogallum debebat, quominus nimis anxie codd. suorum vestigia premeret. Accedit etiam altera causa, ex sententiae continuatione petita. Vs. 107. dicit poeta, iuvenes, ad alia vitia natura propensiores, unam avaritiam invitos exercere cogi, partim quod ea tamquam parsimonia et virtutis specie commendetur, partim quod patres solos avaros felices, pauperes contra infelices iudicent. Hinc, sicuti etiam ex comparatione versuum 105 sq.

Sed pater in causa, cui septima quaeque fuit lux.
Ignava et partem vitae non attigit ullam.

necessarium puto, ut proximi tres versus ad patrem pertineant.

SATIRA XIV, vs. 100—104.

Antiqua et vera interpunctione nomine durae insignita, recentiores interpretes hanc falsam excogitaverunt:

Romanas autem soliti contemnere leges,
Iudaicum ediscunt et servant ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses.
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti;
Quaesitum ad fontem solos deducere verpos.

Sed si qua dura et abrupta nominanda est oratio, haec est. Infinitivos nempe historico in his esse statuunt,

quibus tamen hequaquam hic locus, quum non narretur, quid Iudaei fecerint, sed quid religione iis mandatum sit faciendum. Omnino frequens est eius generis infinitivorum, qui nulli sunt, observatio, neque recta eorum explicandorum via et ratio. Creberrimus eorum usus est, ubi, oratione ad alia festinanter transeunte, res non accurate, sed cum negligentia quadam et leviter tamquam prolectae narrantur. Hinc etiam plures in historicis plerumque scriptis iuxta cumulati inveniuntur. Quos si explicare velis, cogitatione ellipsin sumas, veluti in exemplo illo: Postquam in aedes irruperunt, diversi regem quaerere, dormientes alios, alios occursantes interficere, strepitu et tumultu omnia miscere, h. e. nihil aliud faciebant, quam regem quaerere, dormientes alios, alios occursantes interficere et quae sequuntur.

Itaque hi infinitivi quum historicis non possent recte adnumerari, monuit me Reisigius in sua Ienensi societate philologa, ut in vulgari interpretandi ratione perstarem, et illos a verbo *tradidit* pendere sinerem. Ac recte; haec enim constructio, ut paulo insolentior, interpretes recentiores latebat. Sed, ut *praecipere* cum infinitivo ap. Ovidium, lib. II, de art. am. vs. 415. *Sunt, qui praecipiant herbas, satureia, nocentes Sumere.* apud Virgil. Aen. lib. XI, vs. 468. *edice armari*, et apud Tacit. Ann. lib. XIV, cap. 60. *Impulit quemdam servilem ei amorem obiicere*, invenitur, ita quoque idem post *tradere* sequi potest. Vid. Sanctii Minerv. pag. 604. Stallbaum ad Ruddimannum pag. 380. Cave porro, ne in verbis *monstrare viam, deducere ad fon-*

tem mysteria religionis Iudaicae et vitae fontem, i. e. doctrinam Iud. credas cum scholiasta, Grangaeo, Achaintrio quaerendam, sed simpliciori ea accipienda sunt modo, qualem nobis Cicero in offic. lib. I, cap. 16, cuius argumentum de communibus hominum officiis Iuvenalis in memoria habuisse videtur, clare ostendit. Iudaeis enim secundum Tacit. Histor. lib. V, 5. erat adversus omnes alios hostile odium.

Vs. antecedenti 97, ut hoc obiter moneam, coniecturae *coeli lumen* aliam addam Isaac. Vossii et Doulzae ad Petron. *cilli numen*. De asini cultu ap. Iudaeos vid. Moyke dissert. ad Ierem. XXIII, 6, pag. 62. Cf. interpp. ad Petronii fragm. Burmanni edit. pag. 880 sqq. et Forcellini in lexic. sub v. cillus. At neutra probanda est, et alteram illam satis refutant Tacitus Hist. lib. V, et Dio Cassius aliique. Coelicolae nominabantur Iudaei (vid. Forcell. lexic. s. v. coelicolae): unde poeta: *nam nil praeter nubes adorant*.

SATIRA XIV, vs. 227—232.

Nam quisquis magni census praecepit amorem,
Et laevo monitu pueros producit avaros,
Et qui per fraudes patrimonia conduplicare
Dat libertatem et totas effundit habenas
Curriculo: quem si revoces, subsistere nescit
Et te contemto rapitur metisque relictis.

Versum inter hos 229 tamquam laciniam a versificatore adsutam asterisco notavit Rupertus: quo demto equidem lacunae signa potius suspicarer ponenda. Nam tuetur eum non solum sententiarum complexio, sed

adeo eum verba, quae sequuntur *Dat libertatem* flagitant; in quibus certe tam nude positis, quum per se plenam non efficiant sententiam, vehementer offendimur. Liberorum mores, inquit, parentes ipsi cum dictis, tum factis corrumpunt, cf. vs. 8. In teneris eorum animis cupiditas numorum excitatur, eaque praeceptis fallacibus instigatur quam maxime, vid. vss. 108, 119—124, inde avaritia existat necesse est, vs. 125, ex avaritia oriuntur fraudes et iniuriae, vs. 126, 143—151, inde omnia scelera et maleficia vs. 178—177. Etiam sequentibus, quae his prioribus et explicandi et amplificandi causa adduntur, versus ille in sede sua confirmatur. Nam verba illa:

Et spoliare doces, et circumscribere, et omni
Crimine divitias acquirere, quarum amor in te,

explicant, qua via per fraudes divitiae cumulentur.

Bene igitur verbis illis ipso sententiarum contextu stabilitis, alia quaedam, et multo graviora quidem, considerare reliquum est. Atque primum constructio verborum aliquid habet difficultatis, eamque in causa fuisse arbitror, cur unum Rupertus eiectum vellet versum, et alii in commutando orationis cursu auxilium peterent. Non est enim apertum, ubi apodosis initium capiat; ea, quantum mihi videtur, a verbis:

quem si revoces, subsistere nescit
Et te contemto rapitur metisque relictis.

incipiens sic instituitur, ut superioribus constructione non respondeat. Hoc factum est vehementiori poetae animi commotione; invertit enim orationem, non respiciens, quomodo incepta sit, et celeriter ad filium

transit. Proprie sequi debebat: is filium in flagitia prorumpentem retinere non potest, et si eum revocet, non audit vocem moderatoris. Achaintrius contra copulam *et* ante *totas* eiecit, inde ut apodosis ordiretur: quo tamen adminiculo opus non est, neque codicibus talis conatus approbatur. Quod deinde animadvertit, *quem* Graece pro *quod* positum esse, id verum est, quatenus Graeci, quum personam circumloquutione aut comparatione significant, quam citissime ad ipsam personam revertuntur. Vid. Porson. ad Euripid. Hecub. vs. 292. Reisig. in syntagm. critic. pag. 26. Sed nec Latinis istam dicendi consuetudinem inusitatam esse, hic ipse locus demonstrat.

SATIRA XIV, vs. 267 sqq.

Quam tu, Corycia semper qui puppe moraris
Atque habitas, Coro semper tollendus et Austro,
Perditus ac vilis sacci mercator olentis:

Ii, et sane multi sunt, qui Coryciam puppem contendunt esse Cretensem, a monte et urbe huius insulae sic nominatam, verbis vs. 270 sequentibus in errorem sunt ducti. Navis potius epitheton habet suum a Coryco urbe et promontorio Ciliciae, cuius incolae propter navigandi artem notissimi sunt, idque idcirco puppi tributum est, quod mercator crocum in hac regione crescentem incolarum navibus deportat. Nimirum Coryeius crocus nobilitate cessit nulli, quod quidem Plinii verbis Hist. n. lib. XXI, cap. 6. edocti scimus, eumque Romae maxime aestimatum fuisse poetae confirmant. Martial. lib. III, epigr. 65. *Quod de Corycio quae ve-*

nit aura croco. lib. XI, 9. *Ultima Corycio quae cadit aura croco.* Horat. Satir. II, 4, 68. *Corycioque croco sparsum stetit.* Lucret. lib. II, 416. *Et cum sonna croco Cilici perfusa recens est.* Stat. lib. V, silv. 6, vs. 211. *ver Arabum, Cilicumque fluit.* Qua de causa lectio Achaintrii e Parisinis maxime codicibus recepta *a Siculis saevi mercator olentis* nihil valet, et pro librarii alicuius, qui *Sicanici croci* meminisset, invento habenda videtur. Primum enim Siculus Corycio croco vincebatur: quapropter ille non intelligendus erat; deinde, si mercator e Sicilia crocum veheretur, non est credibile, eum Corycia nave usum fuisse. Perditus autem ac vilis dicitur navigator, quia magnas miserias et multa pericula subit, et propter divitiarum conquirendarum studium et avaritiam inde ortam contemtus est.

SATIRA XV.

Vs. 19 sq.

Nam citius Scyllam vel concurrentia saxa
Cyaneis

Haec est vulgata scriptura, quam retinui, non deterritus Ruperti animadversione, saxa dici non posse concurrere Cyaneis, quum Cyaneae sc. rupes ipsa saxa concurrentia sint. Is ipse dedit *Cyaneas*, appositionis lege ad concurrentia saxa pertinentes: quae correctio aliis locis quodammodo firmatur. Valer. Flac. Argon. lib. VIII, vs. 209:

quam saeva subire
Saxa iterum, quam Cyaneas perrumpere montes.

easdem idem appellat lib. IV, vs. 687. *Cyaneas rupes.* Cf. Plin. Hist. nat. lib. IV, cap. 13. Pompon. Mel. lib. II, cap. 7. Dausqueius autem ad Sil. XIV, 515. pag. 623. *Cyanea*, quod, quum literae pl sequantur, metro non adversatur. Achaintrius tamen defendit antiquam lectionem, sed ratione, quae misera est et prorsus spernenda. *Cyaneis* ex mea sententia ablativus est, et indicat regionem, in qua saxa illa concurrunt.

SATIRA XV, vs. 33—38.

Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium et numquam sanabile vulnus
Ardet adhuc Ombos et Tentyra. Summus utrimque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, quum solos credat habendos
Esse deos, quos ipse colit.

Versus 34. Ruperto videbatur suspectus, eumque a versificatore aliquo additum opinabatur. Sed causa, quam in novissima editione apponit, *ταυτολογικῶς* dicta esse *vetus*, *antiqua*, *immortale*, *numquam sanabile* etc. apud Iuvenalem et inprimis hoc loco non admodum probabilis est. Poeta enim non loquitur de vetere solum et inveterato Aegyptiorum odio, sed addit etiam, quantum et quale illud fuerit. Tum codices quoque conatui refragantur omnes.

Accedit autem alia quaestio cum hac Rupertianae sententiae refutatione coniunctissima. Finitima enim vs. 33 Tentyra et Ombi dicuntur, quamquam magna inter utramque urbem distantia erat. Quem errorem quum inter Francogallos, Salmasio Exercitt. Plin.

pag. 818. praeeunte, viri docti facile animadverterent, non existimantes, rerum geographicarum ignorantiae coargui poetam posse, unus eorum explicando, ceteri autem commutando difficultatem omnem removere studebant. Male tamen interpreti opera cessit, et qui pro *Ombos*, codicibus aliquo modo adiuvantibus, *Coptos* scribebant, quo desiderata locorum vicinitas efficeretur, vehementer falsi sunt eo, quod Iuvenali formam novam, et ante ipsos non auditam, obtruderent. Veruntamen laudanda est eorum cura et diligentia, ut non satis mirer, quod Ioa. Valent. Franckius, vir doctrina et ingenii acumine excellens, in examine critico pag. 115 et 116 opinetur, ipsum poetam, in Aegypto non versatum, sed inde audita tantum narrantem, Tentyritis propriorem aliquam gentem cum Ombitis perturbasse, et omnino parum sollicitum fuisse de topographia superioris Aegypti. Quid vero hac in re poetam, etiamsi terram ipsam oculis non perlustraverit, quod quidem mihi hucusque nondum persuasum est, tam turpiter lapsum credamus? Romani paulo accuratiorem id temporis Aegypti cognitionem habebant; neque iure possunt ab Hermanno ad Hom. hymn. in Apoll. vs. 424. in epicos poetas dicta ad Iuvenalem transferri. Porro quum poeta refert, quae in Aegypto inter duos populos facta erant, famam sequutus, Romam inde perlatam, nonne eadem ad aequales eius pervenisse existimandum est? Sed perturbavit, ait Franckius, aliquam gentem cum Ombitis, alias eos Tentyritis non vicinos reddidisset. Igitur rei tam novae pars et summa quidem poetae memoria excidit?, diversa

ab iis, quae modo auribus perceperat, narravit. Et cuinam? Aequalibus tamen, qui res illas bene tenebant memoria, et ridere poterant falsa referentem. Vix ergo credibile est tale peccatum, praesertim quum reliqua narratio accurata sit. Indicatur enim non solum, quando crudelissime inter vicinos populos pugnatum sit, sed etiam, quo loco. Cur adiecit poeta *Consule Iunio?* Non, ut Franckius voluit, ut fidem faceret suae narrationi, sed ut recens factum consulis nomine addito distingueret a similibus prius factis. Iam ob eam causam ipsi cavendum erat a fictis rebus. Fac tamen, illud ipsum poetam voluisse, nonne tum una gente cum altera commixta fidem sibi imminuerit rursus? Hoc ita est. At ab isto vitio vindicatur poeta optime, nec Francogallorum subtilitate opus est, si mecum interpunctionem mutes, et sic scribas:

Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium et numquam sanabile vulnus
Ardet adhuc Ombos et Tentyra:

Ut vulgo haec in editionibus distincta videmus, duo accusativi Ombos et Tentyra a praepositione *inter* pendent et vocabulo *finitimos* per appositionem adduntur. Ita coniungit Salmasius: Inter finitimas urbes, Ombos et Tentyra, ardet adhuc vetus simultas et numquam sanabile odium." Verum ex mea sententia versu 33 singularis et a proximis secreta enunciatio, verbo auxiliari omisso, continetur, ut propterea accusativi illi ab *ardet* regantur, sicuti apud Virgilium Georg. lib. IV, vs. 425 sq. ex vulgari verborum constructione: *Iam rapidus torrens sitientes Sirius Indos ardebat.* Poeta

enim narraturus, quae vs. 27 promiserat, egreditur a re singulari et omnibus notissima, a mutua Aegyptiorum antiquitus simultate, qua auditorum animi, quo narratio pertineat, praeparentur quodammodo, eaque posita, reliqua adnectit, et facillimus inde ad rem ipsam transitus est. Affert deinde duas urbes, Ombos et Tentyra, ob cultus diversitatem notissimas, non tamen ut vicinas, sed tamquam capita et inimicitiarum sedes. Nempe urbes istae vicinis, alia numina colentibus, infestissimae erant: quam quidem causam poeta ipse addit his versibus:

summus utrimque
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, quum solos credat habendos
Esse deos, quos ipse colit.

In his numina vicinorum non ad Tentyra et Ombos referenda sunt, ut Franckius dicit l. l. pag. 112, neque ibi hae urbes sibi inimicae dicuntur, quamquam re ipsa erant, sed intelliguntur eae civitates, quae utrique populo interpositae erant, aut adiacebant. Tales fuerunt plures. Apollonopolis M. non multum ab Ombis distabat, crocodilis infesta. Strab. pag. 817. *αὕτη πολεμοῦσα τοῖς κροκοδείλοις.* cf. Aelian. Hist. anim. lib. X, cap. 21. Eadem animalia venerabatur Crocodilopolis, neque minor erga eos Coptitarum, qui Tentyritis adiacebant, reverentia commemoratur ab Aelian. lib. X, cap. 24. Aliae alia colebant numina; Latopolis piscem, accipitrem Hieraconpolis. vid. Strab. p. 817. Qui numinum cultu non differebant, ii amicitia coniuncti insectabantur alias. Unde fiebat, ut perpetuae

inter Aegyptios et summae orirentur rixae. Dio Cassius lib. XLII, cap. 34: *θρησκεύουσί τε γὰρ πολλά, περισσότατα ἀνθρώπων, καὶ πολέμους ὑπὲρ αὐτῶν καὶ πρὸς ἀλλήλους, ἅτε μὴ καθ' ἕν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ ἐναντιωτάτου καὶ ἑαυτοῖς τιμῶντες τινά, ἀναιροῦνται.* Hoc loco duorum populorum concursus describitur, quorum altera pars dies festos celebrabat, altera gaudiis et voluptatibus illorum invidebat. Tentyritae inter solemnes epulas perturbati sunt, et ad pugnam lacessiti: quod quidem e versu 75 apparet, ubi ii, per periphrasin nominati, instare dicuntur in fugam conversis. Ibi non recte mutavit Salmasius *palmae* in *Pampae*. *Palma* pro palmeto positum est. Vid. H. Valesii notam ad h. l. Quos autem poeta nomine inimicorum vs. 40 insignitos voluerit, primo adspectu non clarum est. Apertum tamen, gentem Tentyritis vicinam esse, et Ombitis numinum cultu coniunctam. Quidni ergo Coptitas intelligendos esse censeas? Ad quam opinionem certe verba illa, quibus poeta, quae super Copti moenia gesta erant, se relaturum esse significaverat, ducere videntur. Etenim res dira non longe ab urbe Copto patrata est, et ea quidem parte, quae ad Ombos vergit. Coptitae fugati erant, ut ex vs. 76. intelligitur, eorumque unus, in fuga super Copton captus, in frusta dissecabatur. Ombitas autem, longe a Tentyris dissitos, eorum incolas invasisse, iam idcirco credibile non est, quod multae interiacentes, ipsis inimicae, urbes aut moram iis inferre, aut omnino impetum inhibere poterant. Fac tamen, eos cymbis Nilo advectos esse, mirari debemus, quod iis repulsi ad

fugam turpem evitandam non usi fuerint. Itaque haec omnia Ombitis non conveniunt, sed potius Coptitis: quare hac nostra explicandi ratione assequuti sumus, quod alii mutando volebant, ac simul contentus esse potest Rupertus, quod, quae *ταυτολογικῶς* antea dicta putabat, nunc seiuncta videt.

Neque versus 44—48 pro spuriis habendos censeo, et probo ea, quae contra Franckii opinionem ad eos defendendos a censore Gottingensi fascic. 86 mens. Iun. ann. 1822, et ab Orellio in eclogis poett. latt. pag. 249 docte disputata sunt.

SATIRA XV, vs. 103 sq.

Quisnam hominum veniam dare, quisve Deorum
Ventribus abnuerit dira atque immania passis,

Recepi h. l. H. Valesii emendationem *ventribus*, quam vocem scripturae compendio *utribus* oppressam arbitratur. Ac profecto nulla est ea accommodatior Iuvenalis dicendi generi: *viribus* enim, quod plurimi habent, ut pro *virilibus animis* vel *viris fortibus* dictum sit, satiris non aptum iudico, et, quod codices Parisini quatuor dederunt, *urbibus*, magis quidem ferendum est, sed gravitate illi non praestat. Attamen cum H. Valesio non dixerim, partem pro toto i. e. viris positam esse; propria potius vis valet, eaque commendatur verbis vs. 100. *vacui ventris furor*.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.